

D. SOLEILHET,
DOCTORIS MEDICINAE MONSPELLENSIS,

EPISTOLA

AD

CLARISSIMVM ROUX,
MED. FACVLT. PARISIENSIS DOCTOREM,
DIARII MED. GALL. AVTHOREM ETC.

CIRCA

ANNOTATIONES NOVAE PVLSVVM DOCTRINAE VTILES,

QVAS

NVPER PVBLICI IVRIS FECIT
CL. DE HAEN,
S. C. R. A. MAIEST. ARCHIATER,
NEC NON IN VNIVERSITATE VINDOBONENSI PROFESSOR PRIMARIVS.

EX
GALLICA IN LATINAM LINGVAM
VERSA.
CVM ADIVNCTA PRAEFATIONE
IOSEPHI HÜTTENBACHER,
DOCTORIS MEDICINAE VIENNENSIS.



VINDOBONAE,
APVD RVDOLPHVM GRAEFFER,
MDCCLXX.

Nihil ergo magis præſtandum eſt, quam ne pecorum ritu ſequamur antecedentium gregem, pergentes, non qua eundum eſt, ſed qua itur - - - primi exitio ſequentibus ſunt, verſatque nos & præcipitat traditus per manus error - - - quæramus igitur, quid optimum, non quid uſitatiſſimum.

SENECA *de vita beata.*

Omnis ſcientia, atque ars debet aliquid habere Manifeſtum ſenſu comprehenſum, ex quo oriatur & creſcat.

SENECA, *in Epiſtola 125.*



PRÆFATIO

§. I.

Spero, probabis benevole Lector, meam epiſtolæ hujus per partes diariis gallicis a) inſertæ ex gallico in latinum ſermonem verſionem, ſi rationes meas mox dicendas æquiori volveris animo.

a) Journale Encyclopedique dictis.

§. II.

Noviter Magnifici de Haen editum decimum tertium rationis medendi tomum perlegere incipiebam, ac non ſine mentis commotione, non ſine admiratione, nec ſine moerore ſequentia in ejus præfatione contra hanc epiſtolam vibrata perlegi verba: RELATUM QUIDEM MIHI FUIT, EXTITISSE INIQUOS DIFFAMANTIUM LIBELLORUM FABROS b) QUI SUBLARVATO MEDICI MONSPELLIENSIS NOMINE LIBELLUM INFAMEM PERIODICO CUIDAM SCRIPTO, IN-

b) Abnormis ſapiens, craſſaque minerva. Horat. Satyr. l. 2. Saty. 2.

INSERUERINT. Et *ſequentia* : *ADVERSUS MEAS OBSERVATIONES PRIORES, CERTAS CLARAS, TESTIBUSQUE NUMEROSIS CONFIRMATAS NIHIL SOLIDI IN LUCEM PRODIIT.* Et *paulo poſt* : *MULTIS RETRO ANNIS LIVIDORUM PULLITIEN NON LEGI, EOSDEMQUE VELUTI FATUOS IGNES ARDENDO FATISCERE SINO.* Et *eodem loco viris clariſſimis hæc Verba* : *IPSOS INVASIT SCELESTA CUPIDO OMNIUM BONORUM AMOREM EXISTIMATIONEMQUE A ME ALIENARE.*

§. III.

An ergo hæc omnia palinodiam non requirunt? an non epiſtola hæc verſione latina donari debet? videtur id exigere boni publici amor, ut tot Medici, ac medicinæ Studioſi, quibus idem diarium gallicum, vel non notum, vel ſi notum quidem, á lectione epiſtolæ eidem inſertæ ex linguæ gallicæ ſermonis ignorantia impediuntur, ipſi argumenta graviſſima contra magnificum de Haen ibidem propoſita æque et juſte ſecumponderare valeant; id poſcit utilitas publica, ne lecto duodecimo rationis medendi tomo alii ab utiliſſimo hoc, et tot exteris decentibus laudibus condecorato, ab illuſtriſſimo noſtro Præſide in Commenta-

riis

riis ſuis expreſſis verbis omnibus recommendato, & ab illuſtris hujus viri propria experientia confirmato, a magno Boerhavio diu ante jam in inſtitutionum pathologicarum ſemejotica recenſito, & inculcato ſtudio avertantur, ut medici juniores ex ea perſpiciant, quam arduum, quantumque operis ſit ſcolis medicis derelictis praxin exercere, videant quantum ipſis deſit, ac quanto tempore opus habeant, ut tandem utilioribus ex natura ſola humani Corporis eruendis principiis ſeſe informent, & Doctrinam ſequantur, quæ autocratiam naturæ Hippocrati adeo recommendatam pro ſua baſi agnoſcit, ut demum hæc Epiſtola apud æquos infamia ſua, qua notabatur, vindicetur, & honos nomini Cl. Soleil-

betii, qui pro falſo fictoque orbi litterato venditur, reſtituatur. En quæ mea ad traducendam hanc epiſtolam motiva fuere.

§. IV.

Præſtabit vero etiam paucis hic recenſere, artem ſphygmicam a cl. viris Bordevio ac Fouquetio traditam etiam in facultate viennenſi jam ſuos inveniſſe Fautores, ac Patronos, qui rimandis horum virorum libris intenti, non infimam induſtriam huic Doctrinæ ad lectos ægrorum practice inquirendæ adhibuerunt, reique veritate toti, ac integri convicti ambobus eam manibus amplexi, utilitatem ac jucunditatem praxeos exercitii ex ea redundantem perbelle ſentiunt

unt, hos inter primus locari meretur Henricus Josephus Collin nosocomii Pazmaniani Physicus laboriosissimus, ac urbis nostræ practicus celeberrimus, qui perlecto cl. Bordevii Libro c) cum mente ab omni præjudicio libera in nosocomio suo ægris omnis generis refertissimo solus, ac in silentio hanc Doctrinam practice inquisivit per longum temporis spatium, demum verificata sibi hac Doctrina mihi opinionem suam communicavit, & obtento ex ejus manibus loquentis naturæ libro ad eam in nosocomio suo exercendam adhortatus, ducem mihi sese hic cum patienti ac benevolo animo exhi-

 buit

c) Recherches sur le pouls par rapport aux crises.

buit, pro quo publicas ipſi nunc gratias ago.

§. V.

Sub hoc moliminum noſtrorum decurſu expertiſſimus Collega ac amicus meus D. Wetſch d) iisdem ductus rationibus ipſam galliam petiit, & eam Doctrinam ab ipſis uiris clariſſimis Bordevio et Fouquetio ut ex Fontibus hauſit, demumque Doctrina ſua dives in Patriam rediit, ubi eidem cl. Collin illa, quæ de cl. Fouquetii libro e) & Doctrina organicorum Pulſuum audiverat, legerat, & expertus fuerat, narravit: quod ſtudium cum magis adhuc

cl.

d) Vide ejus librum Medicina ex Pulſu. Viennæ anno 1770.

e) Eſſai ſur le pouls.

cl. Collin miraretur, obtento et perlecto libro indefessim laboravit, ut horum caracterum vel veritatem, vel falsitatem detegeret, idque eo magis, quo magis primo conspectu hæc imaginaria ac incredibilia ipsi videbantur: verum de hujus viri præstantissima Doctrina undequaque innumeris experimentis convictus ac confirmatus, ille eam iterum publice in nosocomio suo laudare approbareque, et mihi de multis adhuc tun temporis dubitanti, aliisque sciendi cupidis eam, ad nostram admirationem apud ægros verificavit. Confirmabit cl. Collin hanc Doctrinam Observationibus suis numerosis, magna exactitudine conscriptis in nosocomio tam in chronicis, quam in acutis morbis circa eam habi-

tis, brevi in lucem edendis, quibus et ego & Viri expertiſſimi Doctores Medicinæ, Friedrich, Trabbucci, Ramponi, Oberleuthner, Caneſtrini & Birti medici Itali, Leat Braſilienſis, et de Guerre junior Doctor monſpellienſis, ac alii adſtitimus publicum ideo exhibituri teſtimonium.

§. VI.

An credibile, quod hæc Doctrina tam cito apud nos diſpareat, tamque labili ſine omni Obſervationum Fundamento ſuffulto inſiſtat pedi, uti quibusdam dicere id placuit; nec unum, nec alterum votis illorum reſpondebit; novum continuo Splendorem hæc Doctrina aquiret, novum jam per noſtra nume-

roſa

rosa observata et cl. Gandini f) pulcherrimum tractatum aquisivit. Certe hoc solo argumento, quidam ad experiundum sese resolvebant: explorabant pulsum in diversis subjectis diversis diei temporibus, praecipue vero tempore aliquo post pastum serie digitorum æquali spatio pulsanti applicata, omnes fatebantur revera sese percipere varias in pulsationibus & intervallis vario tempore modificationes, tumque interrogati; an credant, naturam tam distincte, tam uniformiter frustra, & sine intentione has modificationes in arteriarum pulsu voluisse producere, an non his exploratis operae pretium Gale-

num

f) Elementa artis sphygmicæ, idiomate italico scripta.

num imitari, experiri quidnam Natura, vel per hanc, vel per illam modificationem ſpatii pulſantis indigitare, quænam portendere velit, ſapientioribus ac flexilioribus animis plura proponere ſæpe non opus fuit.

§. VII.

Cæterum annotationibus partim frivolis, ſeriis quibusdam hanc ſphygmicam Doctrinam labefactare fruſtra tentarunt, & cum plerumque eadem, quæ in galliis hic opponerentur, easdem, quas in altero tomo des Recherches inveni, hic enumerare ac reſpondere placuit. Ac primo oggeritur : nimis paradoxam hanc Doctrinam eſſe ; Verum non attendebant ſic cum plerisque novis

in medicina inventis agi, circulationem idem ſubiiſſe fatum, et cl. Fagonem, qui primus pariſiis eam tuebatur, multos ſibi conciliaſſe inimicos, interim eventus docuit, quod detractorum cerebra præjudiciis laboraverint, & Veritas juſtificabatur. 2) quod hæc Doctrina inutilis, imo pernicioſa ſit, aſt Doctoris Guipatin aſſeclæ uſum emeticorum ut pernicioſum declarabant, & hujus remedii patroni veneficii humani accuſabantur, interim in memoriam hujus viri omnes ſapientiores inſurgunt. 3) quod ſanas praxeos regulas conturbet; certe confirmat ſanas, & in noſocomio Pazmaniano, quod jam fere per tres annos diligenter frequento, & in quo medicina magna attentione tam ad vete-

rum,

rum, quam ad recentiorum inventa ac Regulas inde fluentes habita ægris cum ſolicitudine fit; ſæpiſſime vidi, pulſum monitoris vices agere, & manum medicam ægris non loquentibus, & ſæpe ob gravitatem morbi non potentibus loqui ad partem maxime laborantem dirigere, neque unquam vidi neglectum aliquod ſignum aliud ab eo tempore, ex quo ars ſphygmica ibi exercetur, cæterum ſi Regulæ practicæ adeo eſſent determinatæ, ut conſenſum unanimum omnium medicorum mererentur, qui magna ſcientia ac experientia ſunt, non oporteret easdem turbare, aſt quam longe ab hac praxeos uniformitate adeo jactata abſumus.

4) Quod hæc Doctrina non niſi ex veterum libris reſuſcitata fuerit; Verum

ſi hoc eſt, cur innovatio audit? Certe Veſtigia illius in galeno reperiuntur, ſed pro maxima parte nova eſt, & illuſt. viris ſua, ut Harvejo immortalis hujus inventionis gloria manebit. 5) *Quod hæc Doctrina neceſſariam authoritatem non habeat, quam veritates medicæ habere debent; ſed an minus publica authoritate confirmata cernitur, quam millenæ practicæ Regulæ, quibus tot medici confidunt.* 6) *Quod tot illuſtres Æſculapii filii caruerint ea, & inutile ſit eidem incumbere ad famam, & nomen magni Medici comparandum; ſed ſi omnia quibus magni nominis Medici ad famam aquirendam uti vel noluerunt, vel non potuerunt, in Medicina rejici deberent, quale erit id novum,*

Me-

Medicamentum, ad quod confugere liceret, nonne omne inventum risu dignæ huic objectioni subjiceretur ? 7) Quod illis, qui publico imponere in animo habent, refugii loco esse possit ; quidni publico imponant Sphygmatici, tot illustres viri Hispani, Angli, Galli, Germani ? An ex hoc capite, quod omnimode hi viri pruritum inde moderentur farragine Medicamentorum ægros obruendi, quod signa propria ad remedia debite applicanda determinent, quod Naturæ humanæ jura restituant, quæ artis mala applicatio ipsis adimere voluit, an hoc imponere audit ? 8) Quod nullo modo hos caracteres inveniant, rem tantum esse imaginariam, doctissimis opus esse digitis in hac re,

ast

aſt his vel applicationis modus, ſtudium, patientia, exercitium deficiunt, vel præjudicioſe negant, vel quod rariſſimum eſſe credo, ipſos tactus ſtupidior a naturali vel artificiali vitio natus ab hac cognitione excludit; quare imaginatione opus eſſet? Practicus in hac arte dicit, veni, & vide: nam millenæ objectiones contra unicum demonſtratum nil efficient; ignoti nulla cupido eſt; his addendum, multis in hac arte clariſſimis viris obſervatis cautelis opus eſſe, quæ pulchræ lectu ſunt apud cl. Menuretum. g)

)()(§. VIII.

g) Noveau Traité de pouls.

§. VIII.

Hæc ſunt præter paucas alias futiles & ridiculas objectiones, quæ hucuſque contra utiliſſimam doctrinam a junioribus æque ac ſenioribus, ab imperitis & peritis, a practicis ac profeſſoribus declamabantur, inter quos ultimos non infimum adverſarium magnif. de HAEN reperire eſt; cui in duodecima parte rationis medendi in eam inſurgere, & edicere placuit: TANTUMMODO EJUSMODI CEREBELLI DELIRAMENTA GENTIS HUMANÆ NOS DOCERE ET DEPLORANDUM IN AMORE VERI SIMPLICISQUE INCONSTANTIAM, ET EAM

CONNATAM IPSIS ARROGANTIAM, QUA MAJORUM INVENTIS MINIME CONTENTI PROPRII INGENII PARTU INNOTESCERE, CELEBRARIQUE GESTIUNT h), qui HOC AUDAX JAPETI GENUS propterea vituperare, calumniareque, ERUDITISSIMIS ILLORUM DIGITIS irridere, totamque Doctrinam PRO NODO GORDIO debilioribus ac minus versatis proponere non erubescit; ast utinam saltem illustr. Halleri monitum i) quod frustra pro ipso militare credit, secutus fuisset, qui prudenter ac honori-

h) P. rat. m. 12. l. 4. p. 177.
i) Elem. phyſ. T. 2. p. 272.

rifice asserit, Cl. Bordevium Solani ædificio manifesto suum, sed ornatius, & longe amplius superstruxisse, quodque id experimentorum genus iteratione oporteat stare, aut everti, quorum utrumque otium & opportunitatem & liberum imprimis a præjudicata opinione animum posceret; adhibuitne magnif. de HAEN has conditiones in exploranda hac Doctrina.

§. IX.

Non voluit, non potuit; nec mirandum, cum nec in aliis rebus eas adhibuerit, propptereaque semper infelix ejus asserendæ vel reprobandæ sententiæ methodus fuerat, id probat ejus de miliari febre Doctrina, quam quo-

tidie Collinius noster in nosocomio suo refutat, scriptis refutavit k), refutarunt magnif. Stoerk l), Pringle m); probat infelix ejus exercitium in electricitatis ictu adhibendo, juste propterea a cl. Tyssoto n) admonitus; probat inanis timor, & inermis oppositio erga emeticorum usum, a cl. Tyssoto o) & a cl. Balme p) egregie contra ipsum defensum; probat Systema irritabilitatis, ac sensibilitatis contra omnia ill. Halleri q) & cl. Cranzii r)

 de-

k) Annus med. Tertius
l) Annus med. primus, secundus.
m) Beobachtungen über die Krankheiten einer Armee.
n) Epistola ad Hallerum pag. 167.
o) De febre biliosa.
p) Reflexions sur l'usage de Vomitifs.
q) Elementa physiol.
r) Tractatus de cordis irritabilitate.

demonſtrata prius negatum, nunc primo coacte admiſſum; ſed manum ad tabulam! his addi poſſunt nunc ſolum ad nos delatus doctiſſimus homo Leopoldus marcus Antonius Caldani, qui in Eſame del Capitolo ſettimo contenuto nella XII parte dell' ultima opera del chiariſſimo ſignor Antonio de Haen in padova 1770, *quam luculentiſſime ex ſenſu ſcriptorum & litterarum Halleri commonſtravit, cl. Haenium per ſe ipſum, per Juſtinum ac Bonnetum quæſiviſſe reconciliari cum illuſtri Hallero, Hallerum palinodiam nec ratione inſenſibilitatis, nec ratione irritabilitatis ceciniſſe, dum ſub finem cap. VI ita concludit: ora chi ſara mai, che appreſſo coſi ipreciſe atteſtazioni abbia l' ardimen-*

to

to di spaceiare a voce, & in iscritto, che il sig. di Haller nella nota quis-la palinodia? & chi mai quindi innanzi vorra farsi seudo del vostro capitolo tione canto, per sostenere una sfacciata menzogna. Probat ejus in colica pictonum curativa methodus, quam ut falsam, ut noxiam omnes gallici medici scriptis, & factis quotidie in suis nosocomiis demonstrant; probat ejus præjudicium in cicuta, aconito, oxymelle colchico, &c. a perillustri clarissimo ac magnifico Stoerk inventis remediis in difficillimis morbis efficacissimis repudiandis, quæ tamen omnium nationum & nostri medici ut talia scriptis ac factis recommendarunt; probat frustranee institu-

ta contra alcalinorum vim antisepticam experimenta, quam cl. Pringle s) & Gardanne t) egregie defenderant; probat malus ipsius conceptus de Camphora tanquam medicamento miliaria generanti & calefacienti, quem ex mente sanorum observata cl. Collin & propria cujusque experientia dudum delevit; probat opii in variolis profusa manu exhibendi mala consuetudo a cl. viris Tralles u), Tyssot x) Young y) restricta, cum usum opii in hoc morbo rectius definirent; & balneorum in eruptione variolarum incauta administratio, quorum

s) Observ. sur les maladies des armées 3me edition.

t) Essai sur la putrefaction des humeurs animales.

u) Tractatus de opio.

x) Epistola ad Hallerum.

y) Abhandlung vom Mohnsafft.

rum noxam nuper demonſtravit cl. Cotuni z) ; demum negata febris Hæmorrhoidalis, uvæ urſinæ, & lyſimachiæ injuſta ultra modum in perſanando efficacia, pleuritidis falſe aſſignata ſedes, chirurgica quædam tenuiter defenſa ; falſa nervi intercoſtalis originis aſſignatio, inuſtio cranii mortalis, probant, inquam, hæc omnia ſatis ſuperque, ipſum nullibi has conditiones implendi animum habuiſſe.

§. X.

Nunc ſine illius conſenſu jam conſtat, quod clinicam praxin, ut ill. viri Bordevius ac Fouquetius perhibuerunt, re-

vera

z) De ſedibus variolarum §. 54.

vera illorum Doctrina illustret, amplificetque, quod ut fax luminosos radios quaqua versum super tenebricosa & obscura artis medicæ dubia dispergat, quod eam certitudinem demum arti Medicæ diligenti cultu inducere valeat, quæ hucusque in aliis disciplinis visa, in nostra dudum optata, nunquam ad hodiernum usque diem obtenta fuerat, quæ scientiam medicam humili artis conjecturalis titulo eximet, quod denique tot diversas in arte medica opiniones sententiasque conciliare, uniformitatem praxeos inducere, uno verbo fundamentum in ea omni posteritati constituere valeat.

Quare nihil superesse crediderim, quam ut sincero animo junioribus Æsculapii

lapii cultoribus illustrem hanc Doctrinam etiam atque etiam recommendem, quam ut optem, ne hanc Doctrinam obiter & tanquam parvi momenti rem considerent, idque vel ex propria negligentia, vel ex præjudicio ab aliis hausto, atque in eo confirmato, sed ut omni molimine huic Doctrinæ operam navent, manus ipsi admoveant, ut plurium conatibus ea indies majorem aquirat adhuc perfectionem, & ad talem gradum suæ excellentiæ pertingat, cui nihil superaddi ulterius possit; ex quibus omnibus illum, quem ego quem tot alii illustres viri percipimus, fructum laborum suorum colligent, a miseris mortalibus ex defectu hujus artis cognitionis sæpe orco

traditis, imposterum salvandis, ab omnibus benevolis æternas gratias, æternam gratitudinem relaturi. Vale benevole Lector! Dabam Viennæ Austriæ 1770.

D. Hüttenbacher.



EPI-



EPISTOLA

D. Soleilhet Doctoris Medicinæ monspelliensis, ad clarissimum Roux Med. Facul. Parisiensis Doctorem diarii med. gallici authorem &c. Circa annotationes novæ pulsuum Doctrinæ utiles, quas nuper publici juris fecit Cl. de Haen S. C. R. A. Majestatis Archiater, nec non in Universitate Vindobonensi Professor Primarius.

Non dedignaberis, Cl. Vir, me classi illustrium horum testium adnumerare, qui laudabili judicio, ac opi-

nione integra in novæ pulsuum Doctrinæ favorem testimonia perhibent luculentissima. His, qui me in cognitionem hujus rei deduxerunt, omnem tribuere justitiam debeo, & debito mihi fungi officio propono, si in eorum emolumentum hac mea expositione cedant quædam Annotationes a Cl. de Haen nuper editæ in opere, cui Titulus Antonii de Haen pars duodecima rationis medendi &c. Viennæ Austriæ An. 1768.

Maximæ, quam Cl. *Hænio* debeo reverentiæ non me subducam; in numerum suorum discipulorum me suscipiat, ardenter flagito: libertati meæ, cum ipso, ut magistro meo confabulandi, parcat; parcat quoque, si meas, & amici mei combinatas ideas, qui quondam consectaria suarum animadversionum

in

in hanc rem in lucem edet, ipſi proponam.

Annuit Cl. *Haenius* Modificationes pulſuum noviter deſcriptas, vel rythmos Particulares in claſſes ac ſpecies redactas, non eſſe commentorum ludibria, inveniri in corporis humani Natura, non eſſe fictitia.

Proprias ſuas felices ex pulſu de promptas prognoſes annunciat: hiſtoriam quorundam morborum tradit, in queis veſtigia aliquarum modificationum pulſus inveniuntur; admittit quoque, *Hippocratem* & ejus ſucceſſores ſigna ex pulſu deſumpta ad prædicendas notabiliores morborum mutationes adhibuiſſe.

Hæc ex parte *Cl. Haenii* viri longe in arte ſua celeberrimi conceſſa, Doctrinæ pulſuum novæ honori cedunt,

ars Sphygmica nunc omnium vota in ſe rapiet; Verum dubi quædam magna huic viro ſuperſunt, & cui non ſupereſſent dubia circa varias medicinæ partes adeo variis cogitandi modis ſubjectæ?

Attamen mihi propoſui, has difficultatum minutias ſolvere, & quæſtionem pulſus eidem ordini annumerare, quo ea incedunt de applicatione venæ ſectionis & purgantium, de criſium doctrina, urinarum hiſtoriæ, evacuationum alvinarum, ſputorum, & quæ referri poſſunt ad omnes fontes, ex queis indicationes ad medicamenta, adhibenda deſumimus, eæ demum, quæ ad naturam eorundem remediorum ſpectant.

Si Cl. de *Haen* demonſtrem, quod tanti novam pulſus Doctrinam æſtima-

re debeat, quanti omnes praxeos regulas æſtimavit, quas apud ægros adhibebat, quorum hiſtorias recenſet in duodecim ſuis Tomis, quod in iis magnus aſſertionum numerus reperiatur, de queis non minus dubitare licet, quam de ſignis ex pulſu deſumptis, veniam dabit concludendi, quod cum minime, uti tamen debuit, percitus fuerit de eo, quod illius ſententiis opponi poſſet ad iisdem valedicendum, pari ratione quibusdam dubiis de Doctrina pulſuum oriundis ſuperſedere fortiter debeat.

Sed quale curriculum teram? ducem hujus viæ ipſe *Cl. Haenius* ſeſe offert mihi; non minus ipſum, ac te quoque alloqui, Cl. Vir, licitum erit,

videbit, me adeo non cavillatorem agere velle, ut potius me & alios ipſe inſtruat, ardenter cupiam.

Illud, quod venerandum Profeſſorem in Hiſtoria pulſus heſitare fecit, enodare ſtudebo, attamen non niſi his ſtabilitis conditionibus: obſecro, reſpondebis mihi ad ſingulas quæſtiones, quas proponere in animo habeo, atque cum ad ſingulam reſponſum dederis, indicabo tibi effectum ex reſponſo tuo in animo meo natum. Impoſſibile eſt, mentem meam tibi aperire, ſi hac mea petitione defrauder; hæc enim ante omnia ſunt neceſſaria, ut de pluribus experimentis conveniamus, quæ dilucidationi materiei a nobis tractandæ inſervire debent, vel quod plus eſt, hæc bene dilucidata me aptum reddere debent, ut ex inſtructio-

ne

ne tua proficiam, quarum prima erit ad queſtiones meas reſponſio tua.

In præcedentibus tomis te jam conſcripſiſſe pulſus hiſtoriam jactas (*a* (*Hiſtoriam conſcripſi*) mentem tuam hoc modo declaras, ut credulis imponere velle videaris, dum ſcribis (*medicos recentiores hiſpanos & gallos eamdem pulſus Hiſtoriam a te extenſiorem longe. explanatioremque petiiſſe* (*b* licet quidem nullum horum medicorum noscam, qui te propterea adiviſſet; ſpero te non minus humaniter mecum acturum, cum enim binæ nationes te, ut ita dicam, arbitrum conſtituant, non dedignaberis, & me quoque judicare.

1. Omnium primo ex te quæro, an ſatis certum ſit, quod, uti affirmare

(a P. 12. rat. m. in præfatione.
(b P. 12. rat. m. in Præfatione.

audes, *Hippocrati* honorem reſtitueris (*reſtitui honorem* (c) dum nos doces, ipſum, ſi voluiſſet, potuiſſe multo extenſiora, ac ſcripſerat, de pulſibus proferre (*ſi voluiſſet potuiſſet*)? an non ſuffeciſſet tibi cum Cl. *Clerico* & tot aliis poſt *Galenum*, vel cum Cl. *Menureto* dicere, *Hippocratem* raro ad pulſus attendiſſe, ipſum non in integrum eos quidem ignoraſſe, ſed tanti eos non feciſſe, & ante ejus tempora minus adhuc cognitos fuiſſe, an non in culpa eſſet *Hippocrates*? an non omnium contemptu dignus, ſi aſſererem, ipſum, ſi voluiſſet eg. in 2. libro epidem., ubi tam bene cum reliquis congruiſſet, potuiſſe deſcribere pulſum? non ne dignius pro Memoria hujus magni

(c P. 12. rat. c. 1. p. 14.

gni viri dictu, ipſum dignitatem hujus ſigni non cognoviſſe? uno verbo credisne, te majorem *Hippocrate* pulſuum cognitionem poſſidere? vel an credis, quod ea, quæ ex his propriis, ſeu veris, ſeu ſpuriis operibus corraſiſti, mihi pro norma practica ſufficiant? tandem an te primum arbitraris, qui *Hippocrati* ſcientiam Pulſuum attribuerit, & Authorem hujus partis Medicinæ proclamaverit? ſi alius quispiam eandem ac tù fovit opinionem, oportuiſſet illum citare, ni fallor. Profecto non te fugit, quæ *Valeriola* in hunc modum; *hanc partem Hippocrates attingere non curavit, aut aggredi de induſtria noluit.*

2. *Galenum* ubique mordes, adeo amiſit favorem tuum, ut in materia pulſuum *Aretæo* ante ipſum primatum tribuere velis; quorſum hæc? appri-

me novi, te potuiſſe, niſi ill. *Hallerus* locum quemdam in methodo ſtudendi *Boerhavii* emendaſſet, ad vicinam *Hippocrati* epocham *Aretæi* vitam ducere. Sed cl. *Clerico* & ill. *Hallero* conductoribus vitam *Aretæi* ponis poſt illam *Andromachi*; quare, qui te præiere, illuſtrium virorum metam prætergrederis intorquendo illorum Annotationes? quare inſiſtis adeo, quod *Aretæus* ante *Galenum* vixerit, & cur inſultas *Archigenis* memoriæ, quod ea, quæ *Aretæus* noverit, & inde quaeſtum fecerit? quæ de *Aretæo* adducis, quæ ex *Voſſio*, *Clerico*, & aliis deſcripſiſti, hæc omnia generaliter probant, *Aretæum* & *Galenum* ferme eodem vixiſſe tempore, unum vero alterius conſcium non fuiſſe. Quidquid ſit, cuine vis imponere, *Aretæum*, qui quidem hinc inde in ſuis

ope-

operibus de pulſu loquitur, mereri primum ante *Galenum* locum, qui tamen voluminoſum, longe celeberrimum & pulcherrimum Tractatum de pulſu ſcripſerat. *DEUS et Galenus*, exclamavit Gordonius, *habuerunt notitiam pulſus DEUS novit & Galenus ſervus ejus*. Nonne fervida tua pro *Aretæo* Amicitia a tramite recto te aberrare fecit? num ſine oblectamento compendium Syſtematis galenici a cl. *Menureto* compoſitum legiſti? an non velles potius tu, qui tantum ſentis egregia edendi opera pruritum, & tam quærulo agitaris Timore, ne poſteritati eadem adulterata, & per quamdam infidelem manum deformata tradentur (*erubui legens meo forſitan nomine me mortuo, ni DEUS avertat, edenda*) *d*) an velles potius Ga-

d) P. 12, rat. m, c. 4. p. 188.

Galeni de pulſibus , quam de eadem materia *Hippocratis* & *Aretæi* ſua compoſuiſſe opera ? an non meminiſti Loci illius *Avegæ* : *de iis quæ de pulſibus a Galeno dicta ſunt, dubia multa infidos homines movere poſſe ad amplificanda Volumina & remorandos Lectores, non eſt, quod ignorem.*

3. Nonne ad periclitandam noſtram eruditionem, de qua non foves amplam cogitationem (*incautis & ſtudio Hippocratico minus verſatis* e) ſilentio præterire affectas immenſos labores *Floyeri* in pulſus Doctrinam ? Attamen in tuis Obſervationibus eandem arripis methodum , applicas te ad metiendam frequentiam vel numerum majorem minoremve pulſationum. Si *Hippocrates* & *Aretæus* de hac re tanta protuliſſent, quam

e) P. 12. rat. m. c. 4. pag. 167.

quam hic medicus anglus, certe consecrasses plura capita expositioni alicujus methodi pulsum calculandi, quam Gallorum quidam & Hispani potuissent tenere pro quodam tuorum inventorum, nisi *Floyerus* ibi sufficienter notus esset. Potuisses hic imponere (*in cautis f)*). Sed notum est, *Floyerum*, ad mensuram reduxisse, maximam, ad quam pertingere pulsus valet, celeritatem et quod eum diviserit in classes, a minimo tarditatis gradu incipiendo, usque ad gradum maximum frequentiæ; non parum contribuit ad methodum pulsum tangendi horologium manu tenens juxta methodum Anglorum.

An existimas, sufficientem adesse rationem tibi attribuendi inventum

Me-

---

f) P. 12. rat. m. p. 167.

methodi numerum pulſationum computandi? vel an non cogitas, quod aliquando a te ratio repetetur de *Syſtemate* Floyeriano? nonne tibi videretur peropportunum, hunc medicum contra Anathema in tuto collocare, quod in tot viros eruditos vibras? non unicus dices, tam bene ut *Aretæus* pulſus noverat (*Aretæus pulſum examinavit, deſcripſitque ita, ut nemo noſtrum accuratius*) g)

4) An Angliæ bellum indicere tibi animus eſt, plurimum venerande Profeſſor, dum Galliam & Hiſpaniam inſtruis? en adhuc celebrem in Materia ſphygmica Anglum, de quo nec verbulum proferre dignatus es. Quid culpæ comiſit celeb. *Coxius*, cujus opus innoteſcit a duodecim vel tredecim annis

g) P. 12, rat. m. c. 2, in Summarii initio p. 15.

nis, & ut in gallicam linguam verſum ab octo annis cum Commentario ? Sane plurima inde deſumere potuiſſes, ad articulum tuum de pulſu intermittente amplificandum ! quæ adfers, & quæ omittis de hoc pulſu ibidem adeo bene diſcuſſa per *Coxium* & ejus Commentatorem cl. *Dabbadium* inveniuntur, ut non credam, poſſe aliquem de hac parte pulſimantiæ ratiocinari, niſi de his duobus medicis loquatur, quos ſilentium tuum æternæ fors tradidiſſet oblivioni. Cl. *Menuretus* eorum memoriam tibi refricare debuiſſet, quia de iis mentionem injicit, uti cl. *Marque*, qui ſecundæ editioni libri, cui titulus *Recherches ſur le pouls*, præerat ; an ad hæc in reſponſionibus tuis advertis animum ? & dabis ne, angliam *Floyeri* & *Coxii* gratia tantumdem juris habere ac nos in tuas inſtructiones ?

5.

5. Et noſtra ſchola Monſpellienſis ! & hæc Theſis de pulſu, quam D. *Vigarous* ibidem tanta cum laude defenderat, & coram docto & tam numeroſo Auditorio anno 1760. Fruſtra in tua hiſtoria, quæ de iis cogitares, quæro ; anhelo judicium tuum de teſtimonio noſtrorum eruditorum Profeſſorum *de Lamure*, *Venel*, *Le Roi*, *Barthez*, & Collegarum, noſtris circa pulſus Doctrinam inventis adeo faventium. Saltem debuiſſes conſulere opera celeberrimi illius Profeſſoris *Sauvageſii.*

Quid dices, ſi illum leviter, percurrere digneris, de animi Candore, quocum adoptat deciſiones recentes de pulſibus, de gaudio, quod teſtatur, quod veræ naturæ expreſſiones inventæ fuerint (quam longe ante te

dili-

diligebat) in narium hæmorrhagia diarrhæa, ſudore? dum conſilium tibi erat, lectores tuos occupandi de eo, quod concernit aſphyxiam, an non potuiſſes ſupponere, quod ea recenſeatur in claſſibus morborum cl. *Sauvageſii*? videbis ibidem hanc aſphyxiam ea, qua oportet aſſiduitate deſcriptam eſſe. Interim tibi dico, Galliam non ultimum locum tenere in methodo computandi numerum pulſationum arteriarum, ut *Floyerus* fecit. Multum loquebantur apud nos viri celebres de Pulſilogio *Sauvageſii*, & quod iterum in memoriam revocatur in libro des *Recherches* in opere cl. *Michel* & in *Encyclopedia*. Illuſtris *Senacus*, cujus iudicium, credo, æquilibras cum veſtri illuſtris & ſapientis Præſidis ſuo, non deſtitit periclitari varios gradus frequen-

tiæ pulſus, habita ratione ad diverſos morbos; an dabis, hanc partem Doctrinæ pulſus feciſſe inter nos magnos profectus, ante quam tu ſuffragium tuum ipſe dederis?

6. Iudicium de nobis fers, non tamen noſtra opera legis *b)*, nonne ex parte tua oportuiſſet, quædam reminiſcentiæ indicia dare de infatigabili & excellenti cive D. *Razouz* medico non cu-

---

b) Vide opera noſtra l' idee de l' homme phyſique & moral; D. Robert Traité des principaux objets de medecine; D. Gardanne de Colica pictonum, & de Electricitate; Eſſai ſur la putrefaction; D. Balme Reflexions ſur l' uſage des Vomitifs. Item Recherches ſur l' Hiſtoire de la medecine, ſur les criſes, ſur la Poſition des glandes, ſur les ecrouelles; aquitaniæ minerales aquæ Diſſertatio, omnia de eodem Authore cl. Bordeu; item Inſtitutiones ex novo Medicinæ conſpectu. De criſibus in Enyclopedia: D. Aymen opus de criſibus. Sur le tiſſu muqueux a cl. Bordeu.

cujusdam Hoſpitii, ſed noſocomii nemauſani in omnibus rebus abundantis? videbis in ſuis tabellis noſologicis, opere quod multum honoris authori conciliat, exempla pulſus naſalis, inteſtinalis, gaſtrici, ſudoris, pectoralis. Sic Obſervationes de pulſu qui ſecundum te non ſuccedunt in *Auſtria*, nec in *aere batavo i)*, admodum bene ſuccedunt in aere ſeptimanico; ne mireris, Medicinam ibi in ſummo ſplendore coli a tot circiter ſæculis, ac anni ſunt, in queis cliniſmo Auſtriaco facem præfers; opus adhuc eſt meminiſſe, quod invenias in opere cel. *Razouz* Hiſtoriam morborum quotidie obſervatorum in quibus ante te author computavit pulſationum numerum in

i) P. 12. rat. m. c. 3. p. 88. in Sumario.

febri, & ejus paroxysmis. Sed quia hi inoculationis causam refricant, quæ tibi nimis odiosa est, quia quoque cel. *Razouz* multus est in bonis herbæ *Solani* effectibus, quos æque parum æstimas ac inoculationem, cogor ulterius pergere; antequam vero hunc articulum finiam, quæro ex te, cujus generis pulsilogium adhibeas.

Eris contentus cum thermometro Farenheitiano, quo uteris; heu! Vir clarissime! quam doleo penuriam temporis, ut tibi narrare possem casus nostros ratione thermometri, quod magni viri voluerunt in nosocomiis magnifico apparatu circumportare; interim parvam a te flagito instructionem de hac magni ponderis materia; doceas nos semel pro semper (*ut tandem constet, an clinicam praxin illustret*

k) manipulationem, dixiſſem brevi exercitium thermometri apud ægros.

7. Deum in teſtem advocas, a viginti retro annis te quæſtioni pulſus ſtuduiſſe (*DEum teſtor me eandem toties a viginti retro annis ad incudem revocaſſe, ne qua negligentia privaret me a lumine veritatis l)*). Conſcientia tua nullam tibi negligentiam exprobrat, & in hac & in aliis rebus (*ut in cæteris*); attamen neglexiſti ſermonem iniicere de opere cl. *Fouquetii.* Feſtina, venerande Præceptor, iuramentum tuum revocare; nonne revera neglexiſti informationem *de l' Eſſai ſur le pouls*, qui liber annunciatus, & pro meritis laudatus eſt, in ſecunda editione Libri des *Recherches*,

 quam

k) Rat. med. T. 12. p. 2. in præfatione.
l) P. 12. rat. m. c. 3. §. 2. p. 115.

quam in manibus habes ? quod id ſolum attinet, jam longam reſponſionem a te peto, ſupplementum ad tuam duodecimam partem Rationis medendi. Hæc pars non eſt æquanda cum undecim præcedentibus, ſi non munita eſt tuis reflexionibus in opus, adeo in omnium manibus verſatiſſimum, adeo notabile, adeo profundæ eruditionis, & tam firmis fundamentis innixum. Indigito tibi hunc librum, quia doleo tuum in hac re defectum, non obſtante tuo amore in veritatem, & tua reverentia in fidem juris jurandi. Videbisne ſine ſtupore in hoc opere 1mo quod juri tuo quod in *Hippocratem* prætendis, jam in anteceſſum reſponſum ſit, vel quod honor tibi aufferatur primum te de eo locutum fuiſſe, & eum conſideraſſe, ut

Au-

Authorem omnis rei, quæ poſt eum de pulſus Doctrina dicta fuit. 2do quod ibidem duo celebres authores hiſpani nominentur, libro des *Recherches* poſteriores, & in quibus, quocum ornaſſes hiſtoriam tuàm, abunde inveniſſes? quid ſi quis te accuſaret, te ex horum authorum Operibus tua hauſiſſe, quin de iis mentionem facias? vel quid dicent medici Hiſpani, quibus inſtructionem tuam impertiri dignaris, (*Hiſpani popoſceruut*) ſi detegent, quod non noſcas ill. viros *Don Juan*, *Louis Roche*, & *Francois garcia Hernandes*, *Don Manuel Gultieres de Los Rios*? hi *Solani* diſcipuli eundem aerem ſpiritu ducunt, quem ducebat alio tempore *famoſiſſimus Don Pablo* qui in noſocomio, ubi aliquibus ſtudioſis Medicinæ leges dabat, volebat

Doctrinam pulſus in incunabulis ſup-primere, & qui, ut ſapiens *Coxius* an-notat, titulis ſuis ſuperbiens, & par-va fama, quam in ſuis regionibus ſibi comparaverat, certa pulſus phænome-na vaporibus fuliginoſis attribuebat. An non exiſtimares, quod hi vapores idem ſignificent, ac illud *forte aliorum*? exemplum de Don *Pablo* nonne tibi ſa-tis probat, quod noſocomio quis præ-eſſe poſſit, & deſtinatus eſſe ad juven-tutem medicam informandam (*Novo-rum inventorum participem facere ſtudio-ſam juventutem m)*) absque eo, ut poſ-ſideat hanc hūmanitatem, ſapientiam, & doctrinam, quam ſimilis exigeret locus? nunc judica, an nimium tibi faciam, ſi a te petam, ut mihi dice-res

m) P. 12. rat. m. c. 3. p. 115.

res, an tuam hiſtoriam pulſus tam abſolutam credas, ac videris nobis de ea ſpem facere velle ? (*Hiſtoriam explanatiorem.*) ; interea dum ibidem nec verbulo operis cl. Fouquetii mentio fit, quod apud nos in omnium manibus verſatur ?

8. Neſcio, quo me geram modo in proponendis meis quibusdam animadverſionibus in uſum quem de quodam opere ill. *Morgagni* facis.

Ante octo annos ill. *Morgagnius* primam editionem dedit ſuarum epiſtolarum anatomicarum, ante tres fere annos ſecundam editionem ſuam promulgavit ; quomodo evenit, clariſſime, quod in Hiſtoriæ tuæ curſu , quæ anno 1768 primo apparuit , & quam (*dicis*) ab Hippocrate uſque ad noſtra tempora proſequeris (*Hiſtoriam pul-*

ſuum proſequar ab Hippocratis ævo ad ſæculum noſtrum n)) quomodo, dico, potuiſti ſecundam *Morgagni* editionem ante opera *Solani*, cl. *Nihelii*, libri des *Recherches*, & cl. *Micheli* ponere, qui omnes jam ante primam *Morgagni* Editionem ſcripſerant. Intentum tuum princeps eſt, hæc opera cum iis, quæ ea preceſſerant, comparandi; objectum tuum comparationis illico deſumis ex *Hippocrate*, *Aretæo*, *Wiero*, *Proſpero Alpino*, & aliis, & poſt hæc ponis in amæno horum veterum authorum circulo ante *Solanum*, & ejus aſſeclas ill. *Morgagnium*, qui poſt hos ultimos ſcripſerat; tacite illis eorum ſilentium de ill. *Morgagnio* objicis, inſinuas, *Morgagnium* de pulſibus eadem,

imo

---

n) P. 12. rat. m. in præfat. p. 3.

imo plura quam eos dixiſſe. Explicas te modo quodam, quo labores tuos in notabilem errorem conjicere poſſes. Ornas tuum librum quibusdam *Morgagni* animadverſionibus, & locum tibi ante *Solanum* & *Cl. Nibellium* vendicare ſtudes, vel ſaltem ad latera eorum (*viginti retro annis n*). An non naturæ convenientius, audeo dicere, & honeſtati magis congruum fuiſſet, noſtratibus gratulari, quod ſuas cum ill. *Morgagni* ideis confirmare valeant? ubi eſt fides tua? ubi hic animicandor tibi adeo familiaris? *Servantur in archivis noſocomii Pazmaniani Teſtimonia Fidei Hænianæ.*

9. Non me latet, quod tentaveris hunc anachronismum corrigere, vel aliam faciem illi præbere in indice ſumma-

(o P. 12. rat. m. l. 3. p. 115.

mario capitis 2di tui, ubi, dum juxta ordinem authores veteres breviter recenſes, in tranſitu mentionem aliquam de tribus vel duobus recentioribus injicis, inter quos reperitur ill. *Morgagnius.* Sed nonne hic fragmentum nimis novi panni veteri ſartæ veſti ſuperimponis? an non quis contra tuam intentionem per has merces decipi poſſet? quod omnes ſcire debeant intereſſet, eſt, quod dum laudas ill. *Morgagnium*, tibi bene caveas de tam mala actione, qua nobis indigitares, quæ in ſuis litteris quam maxime Doctrinæ noſtræ faverent; quare non loqueris eg. de his pleuritidibus, in queis pulſus erat, parvus, debilis, in æqualis ob præſentiam vermium in ventriculo, & quæ ope emetici curabantur? nonne ideo, quia vis parcere volupta-

ti

ti fuſius dicendi quaſi de tuis propriis, de præſentia vermium in inteſtinis ſine quidquam dicendo de noſtris authoribus, qui de ea re jam diu ante te egerant;permitte,ut tibi in memoriam revocem, quod in libro des *recherches* inveniatur, præſentiam vermium in inteſtinis pulſum reddere irregularem, vivum, ſerratum , trementem, inæqualem, & quod pulſus gaſtricus ſit parvus, ſerratus, in æqualis; nonne ideo, quia emetica abhorres, uti noſter *Patinus* ? quare dum de pulſu intermittenti loqueris, non dicis cum propriis terminis ill: *Morgagni*, quod medici plerumque de intermiſſione pulſus terreſiant ? quod hæc intermiſſio ſæpe oriatur ex vitio in ventriculo vel in inteſtinis hærente, & quæ per remedia convenientia tolli poteſt quod in

ter mittentia, uti cordis palpitatio ſæpe per flatus generetur, quarum cauſa tolli poteſt, & qui irritando genus nervoſum cordis motus turbant (m; nonne hæc & alia ſilentio præteriiſti, quia videtur, ill: *Morgagnium* ordini aliquomodo eorum Authorum annumerari poſſe, qui de nova pulſimantia ſcripſerunt; & contendes ne, illum ad inimicos novæ Doctrinæ ponere, uti eum in

---

p) Simile legi poteſt in Cl. D. Unzeri medici germani libro cui titulus, der Arzeine medicinische Wochenschrift, 245 ſtes Stück, ubi, poſtquam de Colica ab indigeſtione nata ſigna recenſuit, & inter hos poſuit pulſum parvum, debilem omni modo irregularem, & inter mittentem, in honorem ill. virorum addit ſaquentia: ultimum ſignum eſt diſtinctivum & in libris noviſſimis variorum medicorum obſervationes factæ reperiuntur, quod talis pulſus vel Diarrhæam, prænunciet, vel vero medico indicationem præbeat, ut ægro purgans propinare debeat.

in tua hiſtoria poſuiſti ante noſtros authores, qui eum præcedebant, & qui in lucem edebant ante eum, uti ante te, veritates, quæ in illius operibus in veniuntur.

10. Quem uſum ergo ill: *Morgagnius* tibi præſtitit; video te illum iterum atque iteram citare.

Sed an non idem tibi applicare liceat, quod de Hippocrate ratione noſtrorum pulſus Authorum obſervas; errant ſeu illum citent, vel non citent (*cum æque errent Hippocratem laudantes. quam vituperantes*); loca tibi indigitavi, ubi ill: *Morgagnium* ſequi deberes,

En loca, ubi eum adeo miro modo exſcripſiſti ut mihi ſtatim iu mentem venerit tibi ante occulos ponere in duabus paginis loca *Morgagni*, & tua;

Aliam incedo viam, quæ me ſecuriſ-

ſime

ſime ad finem propoſitum ducat. Si ill: *Morgagnius* aliquam ſuam epiſtolam cum aſphyxia incipit, non deſeris tuum ducem, & quoque articulum de aſphyxia ponis; ſi *Morgagnius* opinionem *Stahlii* revocat de differentia celeritatis ac frequentiæ pulſus, *Stahlius* felicis memoriæ etiam a te aliquod approbationis ſignnm recipit, & uti ill. *Morgagnius* obſervationem adjungit, quæ ipſi propria eſt, tu ſtatim eam deſcribis, & adjungis aliquam de te, vel tuis auditoribus. Cl. *Morgagnius* ſe explicat de attentione debita utriusque Carpi pulſum tangendi, & de neceſſitate omnes poſſibiles arterias offendendi, tu ſimilem illico adfers hiſtoriam, in qua corrigis aliquos tuorum collegarum minus te inſtructorum.

Si ill: *Morgagni Làncisium* citat ratione pulsus intermittentis, *Lancisius* eundem a te recipit honorem; Ill. *Morgagnius* invenit in Cl. *Ramazzinio* historiam judæi, qui exanimatus, & sine pulsu erat per quatuor dies ante suam mortem; hic Judæus & locus *Ramazzinii*, ubi de eo quæstio est, in tua historia scenam etiam suam ludunt. Ill. *Morgagni* de sene loquitur, qui se in lecto hinc inde jactitabat sine pulsus indicio & paulo post moriebatur; invenio apud te eundem sese jactitantem senem, & mortuum, uti apud *Morgagnium*. *Ballonius* perhibet, quod ope purgantium hominem curaverit, cui pulsus erat languidus; hæc observatio *Morgagnio* in mentem venerat, & in tuo libro eandem observationem fideliter nar-

ras; Ill. *Morgagnius* loquitur de illis Aſphyxiis unius & duorum dierum, de quibus in ſepulchreto *Bonetti* ſermo eſt & apud te hæ diu durantes Aſphyxiæ & ſepulchretum reperiri eſt. *Morgagni* loquitur de pulſu convaleſcentium; quod de eo dixerat, id apud te invenitur; dum ill. vir exempla adduxit tarditatis extraordinariæ in pulſu, hæc tarditas longo etiam calamo in tuo opere deſcribitur. Si illuſtris Vir decaſibus loquitur, in quibus ſenum intermittentia attentionem poſtulat, tua quoque attentio per animadverſiones hujus viri evigilat, loquitur de extraordinaria frequentia, & tu quoque.

Si ill. Vir extenſius paullo diſcutit id admirandum in certis aſphyxiis, & ejus cauſas, tu quoque Difficultatem certas Aſphyxias explicandi declamas;

fa-

facile creditur, quod *Vesalius* eruditioni ill. *Morgagni* non exciderit, & illi, qui tuum opus legent, videbunt, quantum tua eruditio *Morgagnianæ* debeat, invenient ibi *Vesalium* & *riolanum*, qui, nisi fallar, ex eadem occasione tibi innotuerunt. Uno verbo memoria tua tibi tanta servitia prestitit, præsertim in 20. capite, ut de verbo ad verbum ill: *Morgagnium* descripseris; an oportet lectores tuos bonæ tuæ fidei credere, viginti esse annos, quod hanc partem historiæ elimes. Vidit ea diem suum omnium primo in operibus ill: senis, & feliciter renascitur in tua 12. parte. Defendam hanc partem (*quotquot in illam scribant, atque deblaterent multi, æque inconcussa subsistit.* (q

II.

q) P. rat. m. 12. c. 4. p. 176.

11. Obſecro te, ut mihi per mittas de iisdem ulterius ſermonem facere. Ill. ſenex loquebatur de pulſu præſertim ut anatomicus, quærebat in ſectione cadaverum cauſas, quæ in vivente Aſphyxiam & intermiſſiones producere poſſent; juxta eum, & ſecundum ſanam rationem hæ modificationes reipſa idem ſunt; quid eſt intermiſſio, quam cito præteriens aſphyxia, & quid aſphyxia, niſi aliqua plus minus prolongata intermiſſio; noſtri Authores vero locuti fuere de hac modificatione pulſus, ut medici, obſervantes mutationes ægris accidentes, qui de intermiſſionibus & pulſuum irregularitatibus curabantur; porro in tam magno curatorum numero obſervarunt, vel quod hæ modificationes pulſus habituales permaneant, vel vero quod commu-

niter

niter accidit, ſuperveniebant mutationes in inteſtinis notatæ, poſt quas pulſus rithmum ſuum naturalem iterum reſumebat; nonne in utile erat, quod dum hoc Doctrinæ illorum caput indagares, occupatus tantum fueris de pulſibus habitualiter intermittentibus, de quibus non deſiere poſt *Solanum* dicere, quod de illis non loquantur? Pulſus habitualiter inordinati non ſunt critici, centies ac centies hoc repetiverunt

Sed illorum obſervationes non minus ideo concludunt ratione magni pulſuum numeri, qui exhibent rythmos particulares appropinquantibus evacuationibus magis vel minus criticis, & qui in ſtatum naturalem redeunt evacuationibus finitis. Quare ergo operam perdis, *Morgagnium* de aſphyxia

exſcribendi? an ideo, ut probes in ejus præſentia impoſſibilitatem pulſum tangendi? an quiſpiam novorum ſphyg. maticorum contenderat, pulſum, dum ſenſibilis non eſt, tangendum fore? dum de urinis, ut ſigno eos inſtruis, *qui practicas tuas obſervationes ſolent frequentare r)* an id primum erit, quod eis probes cum magno citationum apparatu, & imitando anatomicos, qui de ſectione ex retentione urinæ mortuorum loquuntur, non ſemper urinam ægrorum videri poſſe? an minus veritati conſonum, inſpectionem urinæ multas medico docere veritates, licet dentur ſubjecta, qui habent urinas habitualiter malas, turbidas, variabiles, an inde ſequitur, quod ut plurimum doctrinam de urinis calere nullus opus ha-

r) P. rat. m. 12. c. 3. p. 116,

habeat, idem cum pulſu vel intermittente, vel habitualiter inordinato accidit. Hi errores habituales pulſuum, qui rariſſimi ſunt, exceptionem quoque rariſſimam de generali regula formant. Authores noſtri loquebantur de his exceptionibus poſt hujus expoſitionem, quod communiter accidit; qua de cauſa ordinem rerum naturalium pervertis, tantum ut repetas, quæ te priora dicta ſunt? ſic invenies, quod Author libri des *recherches* jam ante te de pulſibus habitualiter irregularibus, & intermittentibus locutus fuerit, quos febres reddunt æquales, ac regulares, & qui ſalutem ægrorum indicant in ea proportione, qua irregularitates & intermittentiæ reveniunt. Invenies etiam in quibusdam noſtrorum authorum exempla intermiſſionum, ac inæqualita-

tum pulſuum, quas citas ex *Wiero, Proſpero alpino, Ballonio*; an ergo aliud quid feciſti in elaboranda tua hiſtoria pulſuum, quam ex iisdem authoribus ea deſcribere? tali pretio facile ſibi comparatur eruditio; collectio ill: *Morgagni* plures adhuc hiſtorias pulſuum habitualiter vel per accidens intermittentium, plures cadaverum ſectiones tibi comparare poteſt.

Noſtri Authores locuti ſunt de eventibus, qui fugitivas modificationes ſequuntur, verum id attentare bene tibi caviſti, alius alia vice id tentabit. Tunc anatomicis opus erit, tunc omnes videbunt, quanta exactitudine illos perlegeris.

12. En, tranſeo ad locum principem, ad operis tui nucleum, ad arboris medullam, ad caput, ubi de *Solano* & vi-

viris cla. *Bordeu*, *Nihellio*, *Michel*, *le Camus*, & *Menureto* loqueris. Laudas omnes cum consueta tua urbanitate, ast & cum tua consueta libertate eos accusas, quod abominandæ hæresi faveant; vestra Excellentia, clamabat Haro, ad animæ interclusionem, illustrissime archiater! insinuas doctrinam hanc esse comparandam religionis hæresi (*quam religionis veritas ab heterodoxis*) Non interest hic inquirere tuam libertatem, qua sæpe de religione loqueris; majorem reverentiam erga eam possideo, quam ut istam nostris immisceam clamosis litigiis; interim satis nota alioquin vrbi virtus tua est (*novimus nunquam formidabiliorem esse hænium, quamdum pietatem spirat*). Sed monstra mihi, amabo te, locum, quo infallibile artis nostræ tribunal ponere debeam; dubi-

to, quod id fieri poſſit in illis locis viennæ, ubi hæreſis cicutaria, colchica, inocculationis, & ſublimati corroſivi viget! quo ergo tribunal pones? in hoſpitio tuo nonne? hic locus ille eſt, ubi ſalubris illa liſimachia creſcit; ſed nimis inſiſto pauxillæ vivacitati, quæ ex thalamis cordis tui bonitate p enis erupeat; ſpero, quod de hoc zeli tui exceſſu revenies, qui viſcera tua moviſſet usque ad aſphyxiam producendam; redeo ad amabiles noſtros hæreticos, permitte, ne fœdus meum cum iis frangam, fratres noſtri ſunt, venerande Profeſſor, ad bonam viam eos reducere te oportet, audias preces, quas illorum loco erga te effundo. Imo. quare tantum in tranſitu nominas Cl. *Michel*, le *Camus* & *Menuret*? timeo, ne Cl. *Michel* opus nomine tan-

tum

tum noſcas, an in alio loco, quam in illo Cl. *Menureti* legiſti? 2. quare Cl. *Nibellius* non efficere potuit, ut ſaltem in angliæ partem opinionem & inſtructionem tuam transmitteres; ſuſpicor te ob Doctiſſimum & Sapientiſſimum *Pringel* hanc gravem Miſſionis tuæ partem neglexiſſe.

Eſt enim iterum alia ſpecies hæreſeos, quæ veſtris acrimoniis Boerhavianis debitam non exhibuit reverentiam, ſpero tandem familiaritatem aliquam cum Cl. *Michelio*.

13. Videris pro *Solano* & authore des *Recherches* notabilem habere prædilectionem; horum unus jam fatis ceſſit; legiſti jam ſuum lapidem lydium? alter abhinc tredecim annis nec verbis nec literis quidquam de pulſus Doctrina reliquit! quare ejus librum tam tarde

co-

cognovisti ? quidquid sit , an mente tua & conscientia bene persuasus es, quod primus divinus ille Hispanus , quem natura scintilla ingenii Hippocratici donavit, plus in medicina laboraverit, quam omnes sui temporis collegæ. Audivi tale de ipso ferri judicium : si tibi placeret id , gauderem. Quod authorem des *Recherches* attinet, an noscis librum suo moderatiorem ? non suscipit negotium mundum medicum instruendi, non delirat circa proselitismum : non tantum temporis habet ad gratum suum animum significandum ; hinc illius explebo munus, nec timeo, te id in malam suscepturum fore partem. Cur dicis, authorem hunc asserere , quod multas veteribus incognitas modificationes invenerit, antequam *Solanum* noverit, cum tamen

mo-

modeſte author confiteatur, quod plures pulſuum modificationes, qui ipſi ſingulares apparebant, tantum reſpicere auſus fuerit, ut motus mirabiliores, & nullius momenti, donec verſionem cl. *Lavirotte* viderit; quo demum in hoc momento, venerande vir, cum tuo timore pro poſteritate, & noſtris nepotibus, quæ nos adeo agitat & hæc gravia verba eripit: citius tardius culpam incurremus factorum ſeu malitia ſeu ignorantia patratorum (*Serius, ocjus nos ſive malitia, ſeu ignorantia ſive erronea admiſiſſe, ſive utilia repuliſſe ſeri clamabunt nepotes*); certe ſine dubio, monumenta bonæ noſtræ fidei remanebunt; qualem audaciam perhibes lectoribus tuis perſuadendi, quod Commiſſarii a facultate pariſina delecti ad librum pulſus novi Doctrinæ indagan-

dum

dum eundem ut praxi nocivum declaraverint. Non mendacii te argui vereris manifeſtiſſimi, quo tam polito homini, uti tu quidem es, acerbius nihil eſſe poſſit; quomodo cum facultate pariſina in contentionem venire audes, cum corpore omni veneratione digno? quare commentatorem cl. *Coxii* non legebas; in hoc ac in tot aliis te illuſtraſſet.

An Aletophili viennenſes & facultas hujus urbis approbabunt, quod facta mutilabas, quorum facultati pariſinæ intereſt. Et quid nobis cogitandum relinquis de iis, quæ adfers, & quæ neſcimus, cum videamus, quod res, quæ ſub oculis noſtris agebantur, tam leviter in animo tuo tranſeant.

14. An probare potes, quæ authori des *Recherches*, adhuc imputare au-

des

des ? clamas, eum nonſolum neglexiſſe, ſed & contempſiſſe & viciaſſe Hippocratem (*negligere, flocci facere, irridere s*); pro nunc effectus eſt primi tui impetus, qui parum vivax eſt, ac fors violentus, credisne te loqui cum quodam cicutæ amico; ut veritatem dicam, reminiſcor audiviſſe, authorem des *Recherches* confidere, ut alii innumeri, cicutæ vi in gravibus quibusdam morbis, atque quod, ut alii multi, magnam æſtimationem ac venerationem pro doctiſſimo ac cla. *Stoerkio*, collega tuo habeat. Verum cicutæ fides, & cl. *Stoerkio* reverentia debita, adhibere poteſt, nec ideo *Hippocrati* ſua demetur æſtimatio; & difficulter mihi probabis, quod author libri des *Recher-*

ches

---

s) P. 12. rat. m. c. 4. p. 164.

ches in hunc contemptum inciderit. Unde tibi conſtat, quod ægros ſuos obruat emeticis, purgantibus, apozematibus, poſtquam eos venæ ſectionibus jugulaverit, quod perturbet conamina naturæ per ſuam medendi methodum, & quod convictus eſſe debeat, quod pulſuum modificationes, de quibus legitur, malo regimini attribui debeant. (*Inchoant V. S. perquam numeroſa t) iterata exhibent vomitoria, quotidie hi, illi die ſaltem alterno corpora purgant; an ſæpe non convincantur, mutationes pulſus cuncta perturbanti methodo tribui, adſcribique* oportere); abſtineo a pluribus quæſtionibus, quas tibi in hac materia ſolvendas proponere poſſem, ſine dubio eas provides, tantum te debes admo-

mo-

t) P. 12. rat. m. c. 4. p. 207.

monere, quod non attenderis, plurimos morbos, quorum author meminit, tractatos fuisse in nosocomiis non per ipsum authorem, sed medicos horum nosocomiorum. Grano plus attentionis in Præfationis lectione & methodi prudentis, qua observationes recensentur, falsum judicium tuum impedivisset. En aliud minoris momenti; ideo tantum profero, quia occasionem mihi præbet annotationem oculis tuis subjiciendi non mihi indifferentem. Dicis, authorem des *Recherches* authoritati *Wieri* inniti; veniam peto, in eo libro non est quæstio de hoc authore. Videas, quare author des *Recherches*, dum eandem viam ac *Solano* incedit, putaverit invenire generalem formulam aptam ad explicandas observationes, ex omni parte comple-

tas, quæ inveniuntur in libris tuo prioribus. Autumavit etiam, hanc formulam aptiorem adhuc esse ad observationes suas explicandas, quas quisque omni die apud ægros facere potest. En princeps suum objectum; quo plures observationes antiquas invenies, qui cum clavi ab ipsa proposita coincidunt, eo magis verum erit dicere, hanc clavim optimam esse, & eo meliorem fore ac inserviet ad observationes dilucidandas in ægris præsentes. Author des *Recherches*, dicebat cl. *Vandermonde*, contentus est defendere in præfatione operis sui, quod cum favore de illius observationibus conjecturare oporteat, quia bonorum observatorum confirmationem de veritate suorum factorum expectat. Non sic loquitur homo, qui successus

suos

ſuos præconiſare in animo habet, verum impoſſibile eſt maximam fidem denegare quibusdam ſuis prognoſticis. Nunc ſimilitudinem inſtituas ipſe, Vir clariſſime! inter methodum tuam, & illam cl. *Vandermondii*, de libro des *Recherches* judicium aliquod ferendi, qui tamen nondum vidit, uti tu legiſti, magnum numerum factorum approbatorum in diverſis operibus recenſitorum, quæ poſt librum des *Recherches* apparuerunt, & quæ facta omni momento licet inſpicere; liceat mihi quoque tibi monſtrare, quod, cum prima editio libri des *Recherches*, quam fors nunquam vidiſti, ſine authoris nomine apparuerit, & aliunde notum ſit, cl. *Marque* medicum facultatis burdagalenſis ſecundæ editioni præfuiſſe, moris non raro ſit, authorem operis,

 dum

dum de eo ſermo eſt, non citare ; id nobis honeſtius viſum eſt pro authore, qui anonymus latere voluit, nec nomen ſuum divulgare ; diſcas exinde, quæ placuerint tibi. Sed ne me accuſes audaciæ, qua promulgo, quod primam non videris editionem, ante oculos tuos pono dicta tua de ſecunda editione. Apparuit anno 1768. aucta cum Tractatu de criſibus. (*Librum eundem plurimum auctum, una cum tractatu olim* de criſibus ſcripto edidit *u*), quare hanc ſecundam editionem plurimum auctam prætendis ? interea dum cl. *Marque* nihil mutavit vel addidit toti operi ? an nunc injuſte metuo, te primam non vidiſſe editionem.

15

---

u) P. 12. rat. m. c. 3. §. 2. p. 100.

15. Non immoraris, cl. Præceptor, ſermoni de pulſu ſudoris a Galeno deſcripto, & ad noſtra uſque tempora in ſcolis adoptato.

Galenum te odiſſe jam (§. 2.) dixi, in quo tamen ill. van *Swieten* tantum detexit obſervationum theſaurum. Vim inductionum cæterum perbene ſenſiſti, quas ſapientiores pro poſſibilitate aliorum pulſuum rythmorum ex exiſtentia rythmi ſudoris deducunt. Oculos ab hoc objecto avertis, pro tali certe injucundo, qui ſibi perſuadere vult, pulſum nullatenus narium hæmorrhagiam, diarrhæam, menſtrua indicare; interea dum omnis ſcola medica de indicatione ſudoris per pulſus rythmum teſtatur. En tandem, quod maxime in opere tuo ratione ſudoris eminet. Author des *Recherches*, qui

ſemper te occupatum tenet, juxta te contra *Hippocratem*, & fere omnes alios medicos defenderat, quod vix, vel plane non per ſudores criſes fiant; (*contra Hippocratem, cunctosve fere medicos ſtatuit, vix* x) *dari ſudorum criſes* y). In libro des *Recherches* ratione ſudoris ſequentes invenio propoſitiones. 1. Per veteres ac recentiores medicos deciſum eſt, ſudorem criticum præcedere pulſum plenum, mollem, undoſum. 2. Hic pulſus undoſus, cum pulſu pectorali ſimilitudinem ha-

x) Ex Roberto Stephano notum eſt, verbum *vix* haberi pro particula, non apud Plautum, qui ait, *ita tamen vix vivimus cum invidia ſumma* ſeu quod idem eſt, tamen vix ita vivere licet cum incredibili invidia; non ſerius attendendum eſt latiniſmo cl. Hænii, videat ipſe, quid de Plauti mente cenſeat.

y) P. rat. m. 12. c. 3. p. 160.

habet. 3. Pulſus pectoralis cum pulſu ſudoris ſæpius combinatur. 4. Verum hic quæſtio tantum de pulſu ſimplici ſudoris eſt. 5. Dum pulſus eſt inciduus, vel inæqualis, ſic ut author eum deſcripſit, ſemper ſudor expectandus. 6. Pauci ſudores vere critici ſunt, ſæpiſſime ſymptomatici --- in his ultimis non oportet ſemper omnia ſigna ſudorum criticorum quærere, e. g. deſtinatum hujus pulſus rythmum. 7. Pulſus ſudoris ſæpe invenitur in fine paroxyſmi febrium intermittentium. 8. Sudores critici cum ſuo pulſu ſæpe in fine morborum acutorum obveniunt. 9. Pulſus ſudoris ſæpe pulſibus ſuperioribus jungitur.

En ſequelas harum propoſitionum: criticus ſudor ſubinde obvenit in febribus intermittentibus & acutorum

ſine : tunc pulſus ſudoris ſimplex reperitur. Verum hic pulſus non præcedit ſudores ſymptomaticos , nec illos , qui cum ſputis conjunguntur , vel quacunque alia excretione, tunc enim pulſus eſt compoſitus vel complicatus, non vero ſimplex. Nam ſudores ſymptomatici , & qui cum ſputis junguntur , vel aliis excretionibus majorem efficiunt numerum. Sudores vere critici, & qui ſoli criſin procurant, reſpectu aliarum pauci numeri ſunt. Non multi dantur ſudores critici veri, ut plurimum ſymptomatici. Si medici, quibus optima adhibenda fides , loquebantur poſt *Hippocratem*, uti *Author* des *Recherches*, an non injuriam facis , culpando ipſum de hac re?

16. En clariſſime Vir ! medicum , quem inhæſitanter in eorum numerum

pono

pono, qui maximam merentur fidem. Prætendit semper in dubio manendum esse, dum de effectibus crisium agitur, imo quoque dum completissimae nobis apparent, nec unquam certi quid prænunciandum fore, ob recidivæ timorem (*Dubia prognosis danda semper, quamvis fiat evacuatio critica bona, dum videtur absoluta esse ---- ne recidivam vel novum morbum faciat æger*) si optimæ evacuationes, tales sine dubio, ac crises per sudores sunt, metum relinquere permittant recidivæ, vel alius morbi, nonne ideo hoc fiet, quia, qui apparuerunt sudores, vere critici nulla tenus fuere, vel, ut cum *Authore* des *Recherches* loquar, quia pauci critici sudores sunt, plurimi symptomatici. Idem magnus medicus, de quo cum tanta præcautione decido, exemplum sudoris

critici ſeptimo die, qui criticus eſt, accidentis adfert; hic ſudor calidus, copioſus, univerſalis erat, per ſpatium ſex horarum durabat, & notabile levamen ſequebatur. Prolongabatur tamen morbus, uſque ad 34. diem cum gravibus ſymptomatibus. Si talis ſudor non eſt criticus, qualis criticus dicendus? adhuc repetam, non ne hoc exemplum probat, plurimos ſudores ſymptomaticos potius quam criticos eſſe. Magnus noſter medicus admonet, quod huic ſudori non confiderit, & factum hoc verum eſſe debuit, cum proponat: deficiebat ipſi conditio ab *Hippocrate* requiſita pro criticis ſudoribuo.

Hippocrates per plurima obſervat a docuit, quod ſudores ſive tremor & rigor eos præceſſerit vel non præceſſe-

rit,

rit, dubiæ prognoſeos ſint, donec poſt inquiſitionem ſequatur eventus, idque eo magis, cum ſudores dentur, qui prima vice, alii, & quod plurimum accidit, qui ægros repetitis judicant vicibus, imo non ſemper ne a morte quidem ægros præſervant, (*crebritate obſervationum* (ſunt de *Hænii* verba) *Hippocrates dedicerat, haud modo, qui horrore præcedente caruiſſent, ſed etiam, qui illum præcedentem habuiſſent, ſudores incertæ prognoſos eſſe, donec ſtatus inſequens judicationis confirmaret certitudinem: quippe integre judicari quandoque ægros ſudorum horum alteros unica, ſæpe alios repetita vice, imo non ſemper inde ne a morte quidem ægrum præſervari.*)

Hic locus indicat, ſi bene intelligo, quod Hippocrates criſi per ſudores non confiderit, & quod pauci dentur

com-

completi judicii. Teſtis eſt Chœrion, qui vigeſimo dic primo judicatus fuit, neſcitur quomodo, licet probabile ſit, id per ſudorem copioſum ſeptimo die apparentem factum fuiſſe. Teſtis Dromeadis uxor, quæ poſt tres ſudores tamen ſexta moriebatur; hinc non videntur frequentes aut continui ſudores ſemper ſalutem adferre certiſſimam. Teſtis Eraſimus, qui toto morbi tempore ſudabat, quinto die moriebatur. Item phreneticus, qui tribus primis diebus vehementer ſudabat, quarta vero obiit. Item Eudoxi uxor, quæ a morbi initio ſudabat, & ſeptima moriebatur; item Nicolai Filius, qui ſeptima moriebatur poſt ſudores. Item Philiſcus, qui ſexta die inter ſudores moriebatur, ſudoribus prima & tertia die erumpentibus-.. tandem pauper italus ſub oculis ducis

mei obiit, ſudorem ſibi multum uſque ad 10. vitæ ſuæ finem accerſiens: ejus ſanguis adeo denſus erat, ut aquoſa nullo modo ſanguini ſe amplius miſcere potuernit (*ſudor a ſanguine ſic condenſato. . ut aquoſa epota haud ultra ſecum commiſcere poſſet*) poſt tot exempla, quis contendere auderet, ſudores non eſſe ut plurimum ſymptomaticos, paucos reperiri criticos, id eſt, qui abſolute & perfecte judicarent morbum.

17. Verum, ubi ille ſapiens medicus qui adeo opinioni authoris des *Recharches* ratione ſudorum favet? tu ipſe es, Clariſſime Præceptor, ſic, tu ipſe es. Reſpice quartum operum tuorum tomum, qui pariſiis anno 1764. apparuit, & ibidem omnia huc tranſcripta reperies. Diſcipulos tuos admones ra-

tione

tione criſium eventus ſemper in dubio verſandos fore; hiſtoriam adfers ſudoris critici apparentis, ſive, qui re ipſa talis non fuit. *Hippocratem* adducis affirmantem: omnes ſudores dubiæ prognoſeos eſſe, (*incertæ prognoſeos*) quodque pluribus ſudoribus ſæpe ad judicandos morbos opus ſit, & quod raro (*quandoque*) unicus eos judicet, neque poſt hos ægrum ſalutis ſuæ ſecurum omnino eſſe; nec de unico perfecte critico ſudore ſermonem injicis; Hiſtorias tantum ſudorum maligni generis recenſes per *Hippocratem* obſervatorum; ſilentio præteris illos boni moris, quorum mentionem fecerat. Quarta hæc pars, adeo ad docendum apta, videtur tantum elaborata fuiſſe ad monſtrandas fortes contentiones, quas contra hos moves, qui

falu-

ſalubritatem ſudorum nimis generalem credunt. Directe aggrederis opiniones illorum, qui eruptiones cutaneas fere ſemper quidquam critici habere contendunr, & tu tamen vix hujus ultimæ generis criſes cognoſcis bonas; adularis tibi ipſi, ac gratularis immortalem te aquiſiviſſe gloriam in Germania, quod omni vi hoc præjudicium publicum profligaveris. Longe remotus a cogitandi modo illius acerbæ frontis jurisconſulti, qui cineribus ſuis certam regionem privare minitabatar, cum lætitia prævides, quod Germani tuos veneraturi ſint ob reformationem, quam in terris illorum introduxiſti, ad immunes eos ab hac plaga reddendos, quæ in ſudorum confidentia conſiſtit (*nec plane ingratos meos cineres germaniæ fore bario-*

los,

lor, *quando ab hac funesta plaga pene immunes, me ad juvante ac urgente se redditos esse recordabuntur*). Tandem eo majori securitate de sudoribus loqueris, quo majorem abundantiam de hac materia inveneras in *Sennerto*, qui tibi ad *Hippocratem* viam paravit, *Riverio*, *Sydenhamio*, *Baglivio*, *van Svietenio*. Centies illis irasceris, qui ægros stragulis obruunt, & gaudio perfunduntur, dum eas sudare vident. Omnes hos sudores consideras, ut jusculum pro fellibus, seu ut casus, qui morbum tantum augent; interea irasceris adhuc authori des *Recherches*, quod paucis terminis idem de sudoribus longe ante te jam docuerit. Cæterum an vis exempla pulsus sudoris simplicis scire, quæ mehercle ado certe subinde apparent (*vel dum bene cri-*

ticus ac ſimplex eſt) uti naſus in facie hominum, ſi fas eſt ita loqui; conſulta cl. viros *Razouz*, *Fouquet*, *Gabriel*, *Bories de ſette* &c.

18. Si vota tua hodie pro omnibus noſtris pulſus aſſeclis colligere non potis eram, ſaltem authori des *Recherches* te propitium reddere ſpero. An legiſti, quæ de ſyſtemate cellularis telæ ante duos annos edidit. Qualem tibi ipſum fingere amares, talem ibi eum invenies, magnum pharmacorum ſectatorem, apertum Hippocratis y) inimicum. Uſque ad textus cellularis epocham ſimplicem hiſtoricum & obſervatorem tantum egit; maxime hunc

y) Vide loca in libro des Recherches ſur le tiſſu muqueux pag. 94. 95. 101. 107. 116. 119. 122. 124. 127. 136. 141. 151. 166. 176. 179. 183. 167. 201. 217. 226. &c.

caracterem in tractatu de pulſu & de criſibus retinuit, tandem ſeſe magis affirmative explicuit; age perluſtra omnia, quæ circa hanc rem ſcripſit; obſervabis, an exprobrationes ob Hippocratem ipſi a te factas mereatur, vel an non favorabilius tulerit de ipſo judicium cl. *Vandermondius*, qui in hunc modum: admodum ſingulare id ipſum eſt, quod Author des Recherches in pulſuum decurſu invenerit, quomodo ideæ Hippocratis quaternariis & ternariis morborum diebus innitantur.

Hiſtoria pulſus novum ſplendorem medicinæ Hippocraticæ adfert, cujus partes tam fortiter author noſter tenere videtur, ut ipſe alia quæque ſyſtemata artis noſtræ flocci faciat. Applicationem ſyſtematis ſui ad praxin tam parum ambit, ut potius dubia ſua

pro-

proponere, & practicos ad ea enodanda incitare contentus fuerit. An ſatis verborum protuli, quibus quietum te ac mitem reddere poſſim? Cl. *Coxii* comentator magis tibi adhuc hanc rem explicabit, & quiſpiam teſtium doctrinæ pulſus tibi dicet, quod injuſtum eſſet petere, ut opiniones authoris ad easdem poſtea impugnandas divinentur; per bene recordor, quod illuſtri Hallero ſpeciem amneſtiæ obtuleris, cum ſciveris, ipſum in ſuis experimentis de irribabilitate tuæ pathologiæ peperciſſe (*rebus ſic ſe habentibus manum de tabula, manifeſtum jam eſt, illuſtriſſimum Hallerum de mutanda pathologia ne ſomniaſſe quidem.* z) Eandem circiter indulgentiam pro authore des Recherches ſpero.

z) Rat. m. 12. c. 7. p. 272.

19. Cl. *Michel*, & *Cox* proprie dicendo primi sunt, qui indicationes curationum morborum ex pulsuum Rythmo palam & libere deduxerunt, hinc tibi cum iis agendum, dum in conspectu omnium medicorum declaras, novam pulsus doctrinam pro medicina perniciosam. Hodie id publicas, & alia vice sine dubio id probabis (*medicinam subvertit*); hoc examinandum relinquo te inter, ac Cl. Viros *Michelium*, *le Camus*; *Dahadium Coxii Commentatorem*, & alios. Præcipue conjecturo, quod Fouquetium in numerum eorum ponere amares, quibus specimen ruinæ medicinalis per novam pulsus doctrinam ortæ debes; pulchram thesin quoque nosco a Cl. *Verdelhan des moles*, & *Gauthier* editam de indicatione applicationis purgantium ex pulsibus desumpta,

ta; hæc duo facultatis parisinæ membra dicta sua ex adverso, æquali robore, & Professorio modo contra te defendent. Videbis pulsuum doctrinam suas etiam inter nos & in ipso facultatis nostræ sinu habere fautores, hinc rationem non invenies dicendi, quod exinde proscripta fuerit; (*tanquam praxi detrimentosam* a) quasi facultas decretum seu generalem hujus materiæ deliberationem instituisset! An non saltem admittes, quod debuisses discipulis tuis citare ac monstrare hanc thesin in tua pulsuum historia? sed tua attentione non dignas existimas has theses, nam siluisti de iis, Cl. *Scheffelii*, *Gmelini*, *Erhardi* in austria, aut in Germania.

---

a) Rat. m. 12. c. 4. in §. 1. p. 163.

20. Quod Cl. *Menuretum* concernit, particularem attentionem meretur; videris mihi caput unicum, si non volumen integrum ipsi debere propter sapientes ejus annotationes de pulsuum systemate, a viginti retro sæculis, apud chinenses exculto; non est possibile creditu, quam ægre tulerint amici mei, pulsuum, ut ego, exploratores silentium tuum de his chinensibus anecdotis. Cl. *Clejerum* & *Barchusium* & plures alios authores consultandos habebas; quam pulchre modernis probare potuisses, ipsos nihil novi attulisse, cum chinenses longe ante ipsos ac *Hippocratem*, vel saltem ante amicum tuum *Aretæum* talia tradiderint. Ex qua ratione, obsecro te, tam profundum tenuisti silentium de hac parte Doctrinæ Chinensium, quæ comparari cum illa

se-

quondam non negligetur ſcola, quam tu medicam appellas, & quæ ſemper ratione pulſus unanimis erat (*a pluribus retro ſæculis ſcola medica conſideravit pulſum* b); ratione hujus tui ſilentii diſſentiebamus; quod me attinet, credo, te diſcuſſionem ſyſtematis chinenſis pro ſupplemento ad tuam pulſus hiſtoriam aſſervaſſe, alius contendebat te nunquam ſyſtema hoc in medium prolaturum, quoniam muſſites contra chinenſes & aliquos græcos; contra hos, quia docuerunt, mundum ope cicutæ venenare, contra illos, ob voluntariam ignorantiam, in qua marceſcunt.

Litteræ, quas illorum Imperatorum unus ad *Boerhavium* miſerat, ipſis notitiam procurare debuiſſent de progreſ-

b) P. rat. 12. m. c. 2. ∬. 5. p. 23.

ſu medicinæ Europeæ, & cognitionem de te, ut principe illius fulcro; ſic ſentiunt quidam aletophili Viennenſes, quos noscis, & qui omnes de tuis teſtantur ſucceſſibus, quidquid ſit, hanc occaſionem arripio te orandi, ut exactam hujus epiſtolæ me doceas hiſtoriam, multum examinis hæc res cauſavit; id tu finies, ſpero, uti nunc finis examen irritabilitatis (*finis quæſtionis de ſenſibilitatate, ac irritabilitate* c); auderem ne in tranſitu te omni obſervantia & opinionum teneritudine colere quam ſummarium hujus capitis mihi inſpiravit. (*Finis quæſtionis de ſenſibilitate ac irritabilitate*) comparandum eſt juxta me verbo *Sol ſta* ducis Joſue; dicam etiam, hanc de irritabilitate diſputationem jam inter nos finitam eſſe, uti

c) Prat. m. 2. p. 263.

uti de hac re convinci poteris, legendo quosdam Encyclopediæ Articulos, & quosdam authores gallos. Doctores noſtri monspellienſis e. g. ab An. 1743. jam eam examinarunt, & adoptarunt ſyſtema fere generaliter hodie receptum de ſenſibilitate ac mobilitate partium corporis viventis.

21. Sed adhuc aliqua mihi, reverende Profeſſor illuſtrare debebis; ad methodum pertinent, qua ſyſtema noſtrorum authorum recenſes. Quare ſilentio præteris exceptiones, quas iidem hi medici regulis propoſitis oppoſuere; ibidem aſſeris, quod doceant, hanc modificationem pulſus Diarrhæam, hanc hæmorrhagiam, hanc ſputa indicare &c. ſed quo titulo has propoſitiones magis generales reddis, ac ii, qui eas pro-

poſuere? quare ipſorum ſyſtema mutilas? ubique ſapientes invenies exceptiones, quas tacere non licuerat. Relege, amabo te, caput quartum ſecundi voluminis des Recherches, & mihi dices deinde, an ſenſum recentiorum bene intellexeris, & an tua hiſtoria adeo completa, & adeo æqua ſit compoſita, ac quidem de homine tuæ authoritatis expectari potuit; relege Cl. *Nibellium* & *Solanum*: Videbis, an non dixerint, omnes criſes ſuos pulſus excretorios non ſemper præcedere. Author des *Recherches* ultra progreditur, quærit, operam navat, omnes detegendi indicationes harum varietatum in pulſibus; non minus generaliter, quam particulariter verum eſt, quod in decurſu naturali morborum, dum exceptiones poſſibiles calculandi

opera

opera adhibetur omnis, regulæ novæ Doctrinæ, veræ, & utiles ſint, & quod Medicus qui quotidie pulſum tangit, ſe cum his regulis occupare debeat. Exemplum quoddam meam opinionem declarabit. Reſtauratorem, fautorem, & amatorem criſium, defenſorem Hippocratis ſaltem in auſtria ubique te deprædicas, hic divinus magiſter te docuit criſes cognoſcere; ſed quid reſponderes alicui, qui ad tuam opinionem infirmandam tibi criſes negaret & ad id probandum tibi morborum hiſtorias adferret, ubi revera criſes nullæ apparuerunt? Sine dubio reſponderes, quod, cum *Hippocrates* criſes dari aſſerat, non dicat, quod eae ſemper & ubique adſint, & quod ideo ſibi non contradicat; quare adeo ſimplex ratiocinium non pulſuum Do-

ctrinæ poſſet applicari? vera enim eſt & admiſſa ſed non ſine exceptione; nondum eo, devoluta, ut ſemper, & in omni morbo applicari poſſit, cum morbi dentur, in queis pulſus rythmos ordinarios non ſequuntur; fere dixiſſem, quod pulſus ſe non explicent, id quod falſum eſſet, nam abſentia ſignorum criticorum pulſus, dum naturaliter deberent apparere, pro recentioribus eſt ſpecies explicationis ſeu expreſſionis negativæ, de qua pars deſumi poteſt pro diagnoſi & morborum prognoſi; quid ergo rebellis in ſe fovet hæc doctrina, quæ eo gaudet commodo ut certa ratione cum criſium Doctrina comparari poſſit.

22. Hic perfectæ maturationis in pulſus Doctrina defectus, hæ lapidis

pro-

prominentis ſpecies, quæ prius illuc ponebantur, antequam his diſquiſitionibus incumbere cogitaſſes, naturaliter me ducunt ad quæſtionem, amantiſſime archiater, an bene ad titulum des recherches attenderis: Titulus eſt, *Recherches ſur le pouls par rapport aux criſes*; an ullum fugit, in hoc opere tantum in tranſitu de pulſibus non criticis quæſtionem moveri. Sed notabilis annotatio ratione chinenſium ibidem legitur: brachium in plura tangendi loca diviſerunt, ad quæ obſervatores ſeduli attendere debent; hic loci opus Cl, *Fouquetii* cum libro des recherches conciliatur. Cl. *Fouquetins* de proprio ſuo ingenio & mirabili Doctrina, & ſumma ſagacitate methodum chinenſem explicavit, Doctrinam pulſus in genere novis inventis confir-

mavit. In libro des recherches pulsus caracteres principaliter petuntur ex æqualitate vel inæqualitate pulsus, ex æqualite vel inæqualitate intervalli inter pulsationes, ex simplicitate vel reduplicatione pulsationum. Cl. *Fouquetius* alias duas æqualitatum vel inæqualitatum species adjungit, illam spatii pulsantis, ubi pulsatio præcipue percipitur, illam formæ, seu figuræ, quam arteria in pulsationibus exprimit.

En duas generales formulas, ad quas diversæ species pulsuum criticorum, organicorum, non criticorum referri valent. Frequentia vel tarditas pulsus, ejus durities vel mollities, ejus magnitudo vel parvitas, caracteres sunt subsidiarii, ad quos sine dubio recurrere nobis licitum est. Cl. *Desbrestius* jam

præ-

prævidit, quod quis conari poſſit invenire equidem contradictiones inter has duas methodos, de quibus quæſtio eſt, ſed idem medicus hanc rem adeo diſcuſſerat, ut jam non amplius locus ſit cavillationibus. Semper apud nos verum manebit, pulſum naturæ expresſionis, ejus rythmos bene perceptos conſilii inſtar teneri poſſe, & eos conſilium hoc explicare, uti urinæ, linqua, reſpiratio & alia omnia ſigna explicant.

23. Si quispiam unquam dicat, novam Doctrinam noſtram Geometrice demonſtratam eſſe, ſi quis hanc demonſtrationum methodum a nobis exigat, ad quam nulla medicinæ practicæ notio perveniet; nonne vir clariſſime, talis juſte poneretur in claſſem illorum, qui prima logices fundamenta

non

non callent de hac methodo conjecturandi, medicis propria? nonne etiam ex his quæ mox obſervavi, concludes, cum non ſit inſolitum apud nos, judicare de pulſibus ex facta utriusque prædictæ methodi combinatione, obſervationes omnes, quæ nobis objici poſſunt, & quæ absque his duabus methodis factæ ſunt, nullius valoris nullius probationis adverſus nos eſſe. Doleo revera me tibi dicere debere, tuas eſſe hujus farinæ, donec ſtabiliveris, quod obſervationes, in quibus caracteres de *Recherches* non inveneras, etiam iis caruerint, quos Fouquetius in opere ſuo delineavit; vides, clariſſime Præceptor quod mihi aurem vellicare non patiar, ad confitendum, quod tibi revera in tuis ægris opinio tua juxta librum des *Recherches* non ſucceſſerit, in qui-

quibus pulſum in toto morbi decurſu ſemper æqualem inveniſſe aſſeris. Hæc tua aſſertio paradoxa multis noſtris Doctoribus videtur. Unus eorum mihi dicebat, quod te provocare vellet ad veritatem hanc dicendam, an unicus morbus acutus detur, in quo pulſus non variaverit tam fortitudine, quam intervallis, & evolutione pulſationum indiverſis morbi periodis. Si vero conſtet, quod initia, ſtatus, & declinationes acceſſionum habeant ſuum ſpecialem pulſum, & quod omnes pulſus in initio per obſervata omnia inter ſe ſimilitudinem, uti pulſus ſtatus, ac declinationis habeant, nonne evidens eſt, quod in ſingula acceſſione tales pulſuum ſpecies diſtingui poterint, quas ingenuus obſervator ad ſuas claſſes reducere norit? id quod hic de ac-

ceſſionibus febrium dicitur, intelligi debet de quocunque morbo vel Febri, habet enim ſuum initium, ſtatum, & finem & ſingula periodus ſuo particulari pulſu notatur; poterit obſervator ſedulus eodem modo approximare, comparare, & claſſificare pulſus diverſarum evacuationum, qui ſimilitudinem inter ſe habere invenientur, hinc claſſem particularem conſtituent; id ergo, quod ut poſſibile concipiebatur, noſtri authores præſtitere, omnes practici intelligent, approbabuntque nec unicus eſt, qui cerebrum ſuum non ſuppellectili factorum inſtructum habeat, quæ ad hanc ſpeciem ædificii exſtruendi non inſervirent: ſi id aliter accideret, nunquam ex pulſu quid cognoſci poſſet.

25. Longe moratus fui, ut tibi quædam de ill. van *Switenio* narrrem ; obſecro te meam excuſationem apud illum in te ſuſcipias : Hiſtoria tua tantum me ad ipſum revocat, quantum æſtimatio ac veneratio, quam nobis ipſius perſona ac opera excitare non deſinunt ; obiter dicis, quod Cl. *Nichelii* anno 1745. bis meminerit (*illuſt. Præſes noſter Nibellii in operis altero commentariorum Tomo anno 1745. edito bis meminerat* d) verum in hanc aſſertionem laconicam parum commentari a me per mittas vellem, quæ minime iis pro inſtructione ſervit, qui tam diviti ſuppellectili caput ſuum non inſtructum habent, ac quidem tu. Ill: van *Swieten* Hiſtoriam Solani & Nihellii in compendium redegit : laudat hos duos

(d P. 12. rat. m. c. 3. p. 98.

medicos, affirmat, quod *rei dignitas mereatur, ut ab omnibus, qui medicinæ operam dant, exploretur hæc quæſtio; Solani & Nibelii detecta adoptat, addit, nullum dubium factis* injici poſſe, de quibus honeſti cives & medici teſtantur. Notat pariter, pulſum inciduum ſolani multum ſimilitudinis habere cum pulſu Galeni undoso, & opinione Solani de pulſu diarrheæ criticæ utitur. Id oculis tuis cum omni tibi debita reverentia ſubjicere permittes; an non decuiſſet fidum hiſtoricum, qualis videri vis, id elogium lectoribus ſuis referre, quo ill. van *Svviten*. Doctrinam pulſus in incunabulis ſuis honoraverat? an non candor, quocum ille obſervationibus horum duorum virorum omnem fidem habet, eas millies

pre-

pretiosiores lectoribus tuis reddere debebat, & præsertim tibi ? atque æstimatio, quam præses tuus de Galeno fovet, in tot occasionibus, imo in materia pulsus ejus memor, nonne in tuis decisionibus te circum spectiorem reddere debebat? Tu vero contentus es edicere, ill- virum obiter operis *Nibellii* meminisse (*meminerat* f).

25. Sed non hic finis. Quare junior Medicus, qui non adeo fortunatus est, ut ex ill. van *Svviten* propriis lectionibus utilitatem capiat, & qui ipsum solumodo ex fama publica noscit, quare talis tibi loca illa in memoriam revocet, quæ tam belle historiam tuam pulsus ornassent. Tantam observantiam illust. tuo præsidi significabas, dum ipsi

f) P. rat. m. 12. c. 3. p. 98.

ipſi opuſculum de hæmorrhoidibus dedicabas (*de Hæmorrhoidibus libellus ... ſi ... facere juſſeris obtemperabo; cum nihil magis mihi volupe eſſe poſſit, quam tibi, nihil niſi bonum publicum, nil niſi mortalium commoda, nihil demum niſi medicinæ incrementum, diu noctuque meditanti acſpiranti obedire*); en quæ te doceat; nonniſi alteri tomi (*altero*) mentionem feciſti; ſiluiſti, quæ in quarto commentariorum tomo continentur, qui poſt ſecundum aliquot annis tardius apparuit, & longe prius duodecima tua rationis medendi parte: *obſervaverat Solano de lucque dicrotum pulſum deſignare criticam narium hæmorrhagiam in morbis; hoc exemplo incitati medici omni attentione obſervarunt pulſantium arteriarum mutationem, ut inde eruerent ſigna prognoſtica tam in ſanitate, quam in morbis. Sic pulſus uterinus*

di-

dictus, qui menstruorum eruptionem præcedere solet, describitur, pulsus ille plerumque est magis elevatus & expansus quam antea, simul est inæqualis & dicrotus licet illud dicrotum, nec adeo frequenter, nec adeo distincte percipiatur quam in pulsu nasali, qui narium hæmorrhagiam præsagit, tamen est satis sensibile. Monet anonimus author, *illum pulsum uterinum facilius percipi, dum prima instant menstrua, uti etiam in annosis, dum deficere incipiunt. Hisce diebus nobilis virginis pulsum tangens, quæ jam quadragesimum quintum ætatis annum superaverat, credebam, me percipere illum pulsum uterinum, unde rogavi, an adesset menstruorum tempus,* respondet, se jam per tres menses illis caruisse; *vix domum redieram, quin litteras miserit mihi ut moneret, menstruum fluxum jam adesse, qui sequentibus diebus satis magna copia flue-*

re pergebat uti ſæpius hoc ætatis tempore ſolet contingere. Monet ſimul idem author illum pulſum poſt primas menſtruorum periodos non ſemper percipi, licet inſtent menſtrua, cum in multis facillime prodeant absque ullo fere ſigno. Quare lectoribus tuis tam notabilem locum celas? An ſic intentioni hujus viri reſpondes, cujus voluntas tua facit gaudia? Omnium optime valorem ſui in medicis aſſenſus cognoſcis, & eum pulſus doctrinæ ſubtrahere ſtudes? non utile ac neceſſarium eſſe autumas lectoribus tuis ut ſciant, quod prima obſervatio viennæ facta de pulſu menſtruorum ad ill. van *Svvitcn* pertineat, uti omnis ſcientia ad ipſum pertinet quam ſub ejus auſpiciis ibidem profiteris.

26. Plus adhuc dico: quomodocunque ex tua parte famam merueris ab

æle-

aletophilis viennensibus tibi attributam, an non credis, quod, siquis parum astutius secretos hujus actionis elateres rimari vellet, suspicio in te cadere posset, quod quondam hanc primam publicam pulsus menstruorum demonstrationem tibi attribuere cupias (*in aere austriaco*). Non potuisti integre in quadam tuarum observationum hunc pulsum uterinum celare, satis de eo profers ad tuendum, quod illum cognoveris, & tamen sic agis, ut suo tempore negare eundem possis; si dubia habebas, hic locus erat, ut observationem tui præsidis revocares, & eam ante tuam poneres uti esse debet, bonam secundasset partem; certo straboni lucem attulisset, quem in tuo te exprimendi modo observare credidi. Per Deum immortalem, emenda hoc-

ce, ne minimam rationem tibi objiciendi relinquas, quod omnia facere velis, & omnia feciſſe; interim mihi permittas occaſionem obviam arripere, ut obiter, & in eo. quod pulſum concernit, lateri ill. van *Svviten*, illuſt. *Senacum* comitem noſtrum archiatrorum adjungam. Hæc Doctrina attentionem, & audeo dicere, approbationem illluſtriſſimorum horum virorum meruit, de quibus poſteritas leges ac decisiones recipiet, quas ſæculum noſtrum ſibi imponere ab iisdem videt.

Sigillum ſuum appoſuerunt novis obſervationibus, & tu nihil adfers de illorum cogitandi methodo. Hoc tuum ſilentium an non quondam futuras ſcolas in admirationem rapiet, dum per opera ill. virorum *Senaci* & van *Śvvie-*

ten

ten enutritæ fuerint, & per tua, quas tam pura posteritati tradere resolvisti? (*erubui legens . . . meo forsitan nomine, me mortuo, ni Deus avertat, edenda*. g)

27, Adhuc quædam, si placet, de Illust. vestro Præside, qua nobili simplicitate historiam suam & suas narrat reflexiones, quanta præcautione ægram suam interrogat, adeo non id, quod in pulsu querit, indicans, quam sapienter ac moderate concludit, qua honestate de exteris suis collegis loquitur, quacum ingenii acie, qua diligentia rythmos pulsus deprehenderat; aliam tu incedisti viam, vir clarissime! sine dubio in mente tua meliorem. Eam comparato cum hac, quam Preses tuus iniverat. Magno tubæ

g) T. 12. c. 4. p. 148.

bæ ſono promulgas, ſi fas eſt dicere, propoſitam methodum, qua tuas inſtituis obſervationes; ambulas in atriis noſoconii tui, numeroſa & ſplendida cohorteſtipatus, cum qua lectos ægrorum obſides h), horas integras conſumis in mendicandis pulſibus, & in commentandis operibus, quæ de iis loquuntur! tangitur, & iterum tangitur, discutitur, vota comicorum colliguntur, legitur ac relegitur, in diaria medica inſcribitur *durus*, *ſubdurus*, *æqualis* i) miſeri ægri! parce exclamationi inconſideranter ori meo excidenti, parce judicio meo, quod pro proſperitate egeſta-

h) Lanquebam, ſed tu comitatus, protinus ad me veniſti centum ſymmache diſcipulis; centum me tetigere manus aquilone gelatæ, non habui febrem, ſymache, nunc habeo, pederete mallem. *Martial.*

i) Duriuſculus, molliculus, ſubmollis &c. ridiculæ denominationes.

ſtatis tüæ manus meas verſus cælum attollere facit. Ne mihi imputes, objecta a me augeri, & rei in ſe serioſæ colores nimis fugaces a me induci. Loquor juxta ea, quæ de te ipſe adducis, propriis tuis expreſſionibus utor (*accedunt juniores medici - - - conveniunt quoque medici extranei juniores - - - cohorte tam eleganti ſtipatus teſtibus idoneis circumdatus hoc pulſuum examen inſtitui, perfeci - - - ſic ut aliquando horam integram lectioni unicæ impenderem - - - ad ægrorum lectulos, ut refricata memoria, ſic mecum pulſum explorarent - - - ejusmodi examen continuo repetitum ad pulſum exacte explorandum egregie aptavit* k). Ego vero contendo, quod hæc, explorand pulſum methodus nulli fere rei inſer viat, & quod ſperari nullo modo poſ-

ſit

k) P. rat. m. 12 c. 3. p. 116. & 115.

ſit de futuro in hoc ſtudii genere profectu quodam, niſi in omni linea methodus Illuſt van *Swieten* tuæ multum contraria pro norma aſſumatur.

28 An ullum medicorum fugit, quod terror & perturbatio, quæ neceſſario ægrum capere debet, dum juniorum turba ejus lectum circumdat, ipſi non cauſet agitationem, quæ in pulſu percipietur? timidula virgo, æger doloribus obrutus, fæmina irritabili nervorum ſyſtemate prædita, juvenis curioſus & agitatus, pauper ad ſuſpicionem pronus, omnes hi perculſi, perterriti per aſſiſtentium cohortem, an bene inſervire valent ad probam pulſuum ſuſtinendam? in illorum ptæſentia ſermones tenentur; ſigna nutu, occulis, ſacie exprimuntur, approbatur, vel rejicitur

citur coram ipſis; libri qui ab illis non intelliguntur, leguntur, in proxima conclavi ſcribitur, vel coram ipſis ſcribitur; & tu non credis, quod ſibi immaginentur, ænigmata ipſis prælegi, ſententiam de ipſorum vita vel morta ſubſcribi, cadaver illorum expectari, & ad hæc jam diſpoſitionem fieri. Omnes hæ paſſiones plus minus pulſum alterant.

Populus noſter monſpellienſis nunquam quosdam ex his in turbas collectas videret, quin non cum ſenſu timoris & iræ exclamaret, o corvi, corvi; & tu vis ut credamus quod in *aere auſtriaco* ægri noſocomii cujusdam recenter exſtructi, & ubi cives urbis ſibi invicem narrant, quod ibi experimenta inſtituantur cum uſtionibus & trepanationibus in morbis capitis ſine

fra-

fractura, tam ſedati ſint animi, ut non moveantut, & in ſpeciem anxietatis incidant, & cordis palpitationem eo momento, ubi ſenex medicus, caput, & dux, ſatellitibus ſuis ſtipatus illis primus pulſum tangit, ſequente cum tota cohorte? comici vero, qui pulſum tangunt, unus a dextris, a ſiniſtris alter, qui plus minus diligentiæ oſtendunt juxta fervoris proportionem, qui eodem tempore pulſum tangere & magiſtrum audire volunt, dum opera prælegit, quorum linguam l) non bene intelligunt, an credis, quod neceſſaria adſit ad obſervandum tranquillitas ad bene capiendos pulſuum rythmos præſente ægrorum agitatione? an credis, quod inter illos multi dentur, qui contradicere aut perſequi audeant per

quæ

l) Græcam.

quæſtiones ſapientem, & celebrem magiſtrum, qui univerſæ europeæ medicinæ leges præſcribit; nam de diverſis horum comicorum partibus oritur galimatiæ ſpecies, ubi quisqne agit ſecundum ſuam utilitatem, timorem, vel ſpem; & ubi nullus, ut ipſi placet, pulſum conſiderare audet.

Ergo veniam dabis, vir magnifice, quod integre tuis obſervationibus diffidam, quæ cum tam fallaci, ac incommodo apparatu in pulſu tangendo exequuntur. Cumque hæ obſervationes nonniſi ſumma ſit diverſorum teſtimoniorum, teſtium multum exprobrandorum, & quorum teſtimonia ſibi ipſi contradicunt, eas illegales eſſe credo; omnes recuſo quingentas obſervationes, quas in tuis diariis cuſtodis (*quin-*

gentorum & ultra ægrorum diariis exacte omnia, quæ ad pulſum, cæteraque pertinent) & ex adductis a me rationibus, quas ſuperius recenſui, easdem recuſo.

29. Quis me vituperabit, ſi pro norma aſſumam methodum ab ill: van *Swieten* vero illo archiatro adhibitam, & ſi perſuaſum teneam, quod in pulſus quæſtione oporteat plus, quam in aliis quæſtionibus amæne,placide,ac ſuaviter agere. Permittet tibi ad limina publica afligere, & plenis decantare buccis omnia, quæ in decem vel duodecim lectis tantum videre poteris, qui duas noſocamii cameras implent, non multum laboris id tibi faciet: ſufficit, quod certiores facti ſimus, 1. quod revera tantum decem vel duodecim lecti in tuo ſint noſocomio; 2. quod tertia pars lectorum per ægros Chirurgicos

ſit

ſit occupata. 3. Quod certis temporibns fere nullus acutorum ibidem erat reperiundus. 4. Quod ſæpiſſime tantum morbi Chronici ibidem inveniantur, tibi inſervientes ad experimenta de *uva urſi*, *lyſimachia*, *electricitate* faciunda, & in quibus rythmi vere critici pulſus tantum per vim habitualis morbi occultati ſunt, quantum per remediorum effectum, quæ de audaci ſatis teſtantur conſilio. Tranſeo omnes has veritates, dum modo admittas, quod tali modo pulſus quæri, tangi que non poſſit, uti fit in venationum clamoribus, & quod hi venationum clamores ſaltem inutiles ſint in loco, ubi pauciores prædæ venatoriæ quam venatores dantur; quando noſtri medici noſocomia adeunt, in quibus per unum diem plures ægri, quam apud te per integrum

annum morantur, ſoli eo veniunt, vel cum duobus vel tribus ſociis, ſine rumore, ſine apparatu, ſine ut portis urbis agfliatur, quod obſervandi initium fiat, idque methodo Hippocratica (*nos ſumus vere Hippocratici*) ſic aſtronomus attentus conſiderat ſolitarius curſum aſtrorum, & ab omni rumore remotus, interim dum ignarum vulgus in plateis tumultuoſe concurrit, ad eclipſes videndas per vitra infumata, & iterum diſcedit, dum unus ipſi acclamat, quod eclipſis poſtero die primo apparitura ſit; ſic in terris meridionalibus, quæ incunabula artis medicæ erant, illi, qui medicinam cum modeſtia ac ſagacitate colunt, id ſine omni rumore peragunt, illi e contra, qui plus æquo promiſerant, neceſſitantur plateas obambulare, cerebro melodiis

gravido ad tranſeuntes alliciendos. *Sic* medici præteritorum ſæculorum juxta *Hipprocratis* monita erant modeſti, non garruli, dum interim *Menocrates* villos deambulabat populum adſe convocans, tanquam ad ens extraordinarium monſtrandum & qui litteras plenas ſuperbiæ ac jactantiæ ad Philippum regem ſcribebat.

30. Dum noſtros comitamur medicos illi ante vel poſt ægrorum viſitationem ad ſingulum ex noſtris junioribus dicunt, vos adhunc, vos ad alium attendatis numerum, horum ægrorum geratis curam, per diem inviſendi gratia ſæpius accedite; tandem, ad interrogata aliquot verbis reſpondent. *Sic* procedebant pariſiis Cl. viri *Maloet*, *Verdlhan*, *Macquart*, *l' Allouette*, & *Thierri*, & monspellii Cl. *Fournier*, & *Fargeon*; ſive

Doctrinæ pulſus addicti vel non addicti ſint, eam tamen, ut omnes alias medicinæ partes callent, occulis noſtris ſubjicunt, nobis explicant ſine magno ſcientiæ, & critices apparatu; ſenſim nos exercitant, ſine oſtentatione, & clamore, non vota noſtra extorquent, contenti, quod, quæ diverſi authores prætendunt, nobis explicent, ſciunt, quod, quæ uni placent, alteri diſplicent; non amant ex ſuis diſcipulis automata producere fatua & triſti, directæque libertati contrariæ monotoniæ addicta, & ſi fas eſt dicere artis noſtræ genio. Ceterum valde approbo, qnod confratribus meis, ac collegis, tuis diſcipulis comiſeris vetulam illam ancillam, cujus pulſus adeo mirabilis, & aberrans erat (*ſeptuagenariam ancillam plures medicinæ ſtudioſi ejus pulpi-*

tum

tum explorarunt) ſed etiam vellem, ut ipſis recommendaſſes, vel permiſiſſes examinare quarundam illarum juvencularum pulſus, quæ in ingruente pubertatis ardore ſanguine redundant, & in pulcherrima vitæ periodo pro explicatione ac functionum declaratione vivunt, Saltem admittes, ut diſcipuli tui pulſum juniorum ſuæ ætatis, & perſonarum omnis ætatis ac ſexus in ſtatu ſanitatis tangant.

Recommenda illis, ut pulſum tangant perſonis, quæ indigeſtionibus laborant, iis, qui præſervative purgant, & tandem non prius promulgare, quod extraordinaria in pulſu quærantur. Nam hoc ſolum ſufficeret ad multorum hominum pulſum turbandum, & diſcipulis tuis epitheta maligna ac ridicula comparanda, queis invidia in eos uti

possit. Tales sunt nostrorum consilia ac dogmata ad nos habiliores, & aptiores ad pulsum explorandum faciundos. An sic tibi placebunt, & credisne, quod hæc levia, utilia junioribus tuam pulsus historiam completam deornassent?

31. Aliquæ adhuc quæstiones de hac materia mihi supersunt. Quomodo discipuli tui tangunt pulsum, & quomodo tu ipse? Cui methodo subscribis? opus habemus omnis hujus rei cognitione, ut fructum ex tuis observationibus & inventis capiamus; qua nam diei hora, habita ratione ad horas prandii, secundius est pulsum explorare? scio, quod detexeris ægris tuis ex illorum lecto exemptis & in sedili collocatis pulsum agitari & dum facilius spiritum trahunt, illorum pulsuum motus magis ex-

pli-

plicari; Fide mea teſtor, quod profeſſores noſtri hæc omnia ſciant & vidi ipſos pulſum ægorum tangentes, eosdem admonere non ſolum, ad ſeſe erigendos, in lecto ſedendos, ſed adhuc ad obambulandum, ſi ſit poſſibile, ſpiritum ducendum, tuſſiendum, loquendum, vel tacendum. Vidi, quomodo ægris brachia extendant, vel flectant, & omnes illorum ſitus variare faciant, vid eos tempore ſomni pulſus explorare, & noctes tranſigere ad momentum felix aucupandum &c. vidi horum unum occulis deligatis ad lectum ægri accedere & cognoſcere ex illorum pulſu viſcera affecta, vel in criſis labore conſtituta. Hæc omnia cum ſapientia, ac prudentia, non cum magno rumore accidebant, uti id apud te (29.) obſervavi.

 Imo

Imo fatebor, quod cum ubique juvenum vivacitas reperiatur, me quosdam meorum condiſcipulorum vidiſſe, qui ad eum enthuſiasmum pervenerant, ut & noſocomiis incommodi fuerint, & præceptoribus, qui illos pulſuum doctrina inſtruebant, & noſocomiorum horum adminiſtratoribus, & ægris ipſis minus veſtris patientibus, ut a latere ſuorum lectorum unius horæ lecturam & multiplices circa medicinam diſpoſitiones admittant. Hæc parva accidentia, an non quoque tibi accidere poſſent? an non credis, quod medicus ordinarius in ſua quotidiana praxi etiam pulſum cognoſcere poſſit, ac quidem noſocomii medicus? Certus ſis, dari in gallia pagos, ubi medici pulſuum exploratores quotidie obſervationum numerum renovant, &

uti-

utilia inveniunt. Dantur loca, ubi ipſe populus huic methodo adeo eſt aſſuetus, ut quotidie utriusque ſexus homines videantur, qui medicis carpos porrigunt dicentes: en, Vir clariſſime, explora, an catharrus meus matureſcat, an brevi ſputa habebo, an capitis dolorem narium hæmorrhagia tollet? an hæmorrhoides vel menſtrua habebo? an meam colicam diarrhæa finiet? an meum pharmacum operari deſinet? an adhuc vomam? dantur medici, qui quotidie ægris prædicunt: non tibi venam ſecabo, quia menſtrua brevi apparebunt, quia in præſenti ſtatu volo narium hæmorrhagiam exſpectare: opus habes vomitorio vel purgante, nam inteſtina tua pro criſi laborant. Urinæ tuæ an non turbantur? &c. Hæc omnia recepta, cogni-

ta, uſitata ſunt, nullo dubio remanente, uti nullum dubium linguæ, & urinæ inſpectio, & aliæ excretiones relinquunt: imo obſtetrices, & plures adhuc obſtetricantes dantur, qui ex pulſu cognoſcunt, an gravida inter paucas dies vel horas parturiens futura ſit. Et graviditas an cognoſci poteſt? an ex pulſu? an poteris ergo ſperare omnes hos felices ſucceſſus de methodo, juxta quam hiſtoriam tuam perfeciſti (*perfecti*)?

22. Abſolvam demum tuæ methodi inſufficientiam tibi probare, & majorem eminentiam illi ill. van *Svieten* attribuere, quæ & noſtra eſt, dum tibi ante occulos ponam quasdam incertitudines & errores calculi, in quos tu ipſe incidiſti; dicis enim, te ſpatio ultimo-

timorum quatuordecim & dimidii anni, qui in demonſtranda hippocratica medicina tranſiere, vidiſſe bis certe, & fors ter pulſum intermittentem ante diarhæam criticam (*bis certe ac forte ter* m) modo eodem tempore diarrhæam cum eodem pulſu ſemel caſu fortuito, aut alterum aut forte tertium (*caſu unum, alterum ve, aut forte tertium* n); illico id fiebat certo binis vicibus (*bis certo*) & tum fortuito una vice, aut ſaltem binis (*caſu unum alterumve*); hic dicis, quod pulſus intermittens effectus vermium ſit in inteſtinis nidulantium (*a vermibus intermittere pulſum* o) & alio loco prætendis, hanc veritatem antiquis tribuen-

m) T. 12. rat. m. c. 2. §. 7. p. 25.
n) P. 12. rat. m. c. 3. p. 100.
o) T. 12. rat. m. c. 2. §. 7. p. 36.

buendam fore & tuæ experientiæ, non vero recentiorum (*nen ex recentiorum dogmate, verum a remota antiquitate*), ſic audaciter Solano præripis locum, iisque omnibus, qui poſt eum laborarunt, & addis, quod ſimilis pulſus ſæpe ſit effectus vermium, ſæpe vero non ſit (*ſæpe vermium ejusmodi pulſus ſit ſæpe etiam minime*) ſed quid? an pulſus propter vermium præſentiam, vel primarum viarum ſaburram intermittat (*ſordes primarum viarum*) hic pulſus an minus inteſtinalis eſt juxta tuos authores, qui tam longe ante tuam hiſtoriam de anno 1768. ſcripſerant?

33. Modo dijudicandum relinquis, an hiſpania non ſpecialiter obſervationibus *Solani* ſit accommodata (*Hiſpana Tellus, Victus, aerque, & Hiſpanorum idio*

ſin-

ſincraſia num ejusmodi pulſuum cauſa exi-ſtant); affirmas, quod in *Hollandia*, ubi per viginti annos praxin exercuiſti, & ubi per octo annos *Solani* methodum tentaveras, non potueris aliquam huic methodo fauſtam obſervationem videre (*batavo in aere, in quo praxin unde viginti annos exercui, & in quo annos octo in ſolanoniorum veritatem ſedulus inquiſivi . . . non potui hanc ejus experientiam practicam confirmare*); nil dicam de ſcrupuloſa hac aeris Hiſpanici & Hollandici comparatione; certe optime locata eſt. Verum, quare durantibus viginti annis praxis tuæ in Hollandia, & durante octo annorum applicatione tua ad ſolanonianum tuum ſtudium nunquam reflectebas, neque ad intermittentiam, quam veteres te docuerunt effectum vermium

vel

vel inteſtinorum infarctus eſſe, neque ad tuas proprias obſervationes, quæ eandem te docuiſſent veritatem? (*non potui confirmare*) ſine dubio aerem mutare debuiſſes ad meliorem cognitionem aquirendam.

Ea quæ in aere batavo vidiſti, nullam cum iis quæ in aere auſtriaco vidiſti, relationem habent.

An dabis, quod aer noſter in Gallia, qui præciſe inter Hiſpanicum & Batavum medium occupat locum, ultimo oportunior ſit, ad obſervationes circa doctrinam pulſus inſtituendas.

34. In quo aere, ſi tibi placet, obſervaſti, quæ in initio tractatus tui de pulſu anno 1768. compilato adfers, & de quibus prius loqueris, antequam mentionem de ſolano & ejus affectis feceris

ceris? (*quod autem mirum ipſe obſervaverim, non reticebo* p)). Agitur de mercatore, in quo pluribus retro annis pulſum intermittentem in ſanitatis ſtatu inveniſti, æqualem vero in ſtatu morbi; bonus hic vir tuam deriſit inquietudinem; (*me inquietum riſit*) hæc res indicat, ut mihi apparet, te minus tunc temporis, quam hodie in pulſu fuiſſe exercitum. Quidquid ſit, ſi hic caſus tibi in aere batavo accidiſſet, ante vel poſt *Solani* opus, quod juxta te anno 1741. apparuit, non potuiſſes affirmare, quod in Hollandia nil talium videris. Ergo in auſtria, ultimis quatuordecim annis & dimidio hoc mirum phænomenon inveniſti; hinc epocha tua (*pluribus retro annis*) non tam alte aſcendit, ac publicatio operis

p) P. 12 rat. med. c. 2. §. 7. p. 40.

ris *Solani*, quod te minus inquietum & ægro tuo minus riſibilem facere debuiſſet. Alias, ſed utique hoc phænomenon non publicas, quam An. 1768. id eſt duodecim annis poſt publicationem des Recherches, in quo libro ſimilia inveniuntur, ut tamen minime pro miraculis venditentur, certe non potuiſſes id conſiderare, ut rem tam ſtupendam, & tibi ſolumodo particularem, cum veteres jam ejus mentionem fecerint,

Epochæ omnes tuæ, tuæ obſervationes, tua facta hiſtorica, an non commentarium quoddam mereri tibi videntur? admodum utile eſſet, ut ill. van *Svieten* huic operi manum admoveret.

35. Lubenter vellem, ut noſtri recentiores te nihil docuiſſent, ut tibi

pro

pro mea virili parte pro omnibus possibilibus inventis gratias agere possem; hujus gratitudinis officium libenter adimplerem, verum comprehendere nequeo ex tuo libro, an omnia, quæ ibi reperiuntur, tibi attribuere intendas? incipiam loqui de tuis laboribus fors (34.) pluribus abhinc annis exantlatis. Actu timeo, ne solummodo fueris occupatus cum pulsus doctrina duobus abhinc annis plus minus; videris id ipsum fateri (*a biennio novas observationes - - - sedulo examinavi*) & tibi demonstravi, te librum des Recherches ante hanc epocham non vidisse (14.) spero, quod hæc omnia luce clariora demonstraturus, & omnibus medicis sis probaturus, quod quingentæ observationes, de quibus loqueris, spatio duorum annorum so-

lumodo haud factæ ſint; id nimium foret. (*Quingentorum ægrorum exacte omnia quæ ad pulſum cæteraque pertinent* q) ſive jam antiquæ, vel non antiquæ ſint, has quingentas obſervationes publicare te rogo; appendicem adeo deſideratum conſtituent ad *Hippocratis* libros epidemiorum; cæterum ſi forte tuis in explicandis pulſuum principalioribus caracteribus denominationes duri, magni, fortis, parvi, tenſi adhibueris, ſpero, quod benevole nobis explicaveris, ex quibus ſignis nos judicare oporteat, pulſum eſſe durum, magnum &c. Crediderim, obſervationes, in quibus Rythmos pulſus a te notatos fuiſſe perhibes, a noſtris omiſſos, in numero harum obſervationum quingentarum contineri; debe-

q) P. 12. rat. m. c. 3. §. 9. p. 146.

bebimus novas has tuæ dexteritati dilucidationes.

36. Semper avidus honorande præceptor, & archiater de te aliquid discendi & occafionem tibi præbendi, qua quæftioni pulfus majorem afferre valeas lucem, occulis tuis principaliora capita de pulfu fubjiciam, quæ difcipulis & publico in tuis præcedentibus operibus propofuifti. Singula pars tuorum operum parvum articulum continebit; prima pars, in qua tanta cum modeftia de tua hagæ batavorum obtenta exiftimatione & amore incolarum hujus urbis erga te loqueris (*de fumma exiftimatione maximoque erga me amore* r) nil de pulfu in fe continet, neque, fi non fallar, verbo ejus mentio fit; hæc res in majo-

r) Rat, m. T. 1. p. 25.

orem me rapit admirationem, cum ibidem de quibusdam morbis acutis disferas, de crisibus, urinis, sanguine. Hæc pars in lucem prodiit An. 1756. eodem anno, in quo liber des Recherches prodiit, & longo tempore post publicationem operis Cl. *Nibelii*, satis singulare equidem, quod cum in aere batavo per octo annos cum pulsus doctrina esses occupatus, non cogitaveris a tuo initio labores tuos *in aere austriaco* continuare.

Secunda tua pars anno 1757. edita, me docet, quod venam seces, dum pulsus est magnus & febrilis (*si magnum pulsum valida febris comitetur* s) quasi si pulsus magnus non sit, vena secari non debeat juxta hanc regulam. inveniebam etiam exemplum intermitten-

s) Rat. m. T. 2. p. 4.

tentiæ ſeu ceſſationis integræ pulſus in ægro, qui diarrhæam habebat, & quare nil protuliſti hac occaſione, quæ de aſphyxia judicas? & quare occaſionem præteriiſti annotandi, quantam ſimilitudinem hæc tua obſervatio cum *Solani* ideis habeat, quas a decem abhinc annis examinas? tandem attendis in hac altera parte, ad pulſum debilem & inæqualem (*debilitas ac inæqualitas pulſuum* t) ut ad quoddam ſignum polypi ſpecies; & hæc omnia ſunt, quæ in hac parte de pulſu invenio, his addam cum tua licentia recommendationem, quam tuis lectoribus ingeris, imitandi *ſobriam Salomonis ſapientiam* u) vel ſapientem ſobrietatem.

t) Rat. m. T. 2. p. 123.

u) Rat. m. T. 2. p. 145.

37. Dicis in tertia parte operum tuorum anno 1758. editorum, quod pulſus præceps celer, & contractus ſit malignitatis ſignum (*celer admodum contractusque* x); loqueris ibidem de pulſu, qui in decurſu morbi acuti *debilis*, *intermittens*, *inæqualis fit*; ægrotus ſaneſcebat, ſed qua criſi, id non adfers, & nec Solani, nec authoris des Recherches tam notabili pulſu præſente mentionem feciſti; certe tunc temporis Pulſus ſtudio non incumbebas; deinde de pulſu debili ac inæquali cum ſpecie quadam diarrheæ involuntariæ loqueris; alius caſus, qui tibi doctrinam noſtram in memoriam revocare debuiſſet. Idem dico de morbo hujus fæminæ, quæ habebat pulſum debilem, inæqualem, & in intervallis, & in ipſis

x) Rat. m, T. 3. c. 1. p. 51.

ſis pulſationibus ; ad dis tandem diarrhæam apparuiſſe ; noſtrorum tamen authorum non recordaris ; hinc poſſum concludere, quod primum operum tuorum volumen, quod tres partes horum continet, non probet, quod peculiare ſtudium circa doctrinam pulſus excolueris An. 1756 - 57 -- 58.

38. In quarta tua parte rationis medendi loqueris de homine, qui cordis palpitationibus obnoxius pulſum parvum & valde in æqualem habebat ; vomitus æqualem reddebat pulſum & palpitationes multæ debilitati junctas aufferebat ; pulſus parvus, intermittens, tremens, de ipſius vita metum incutiebat & larga oriebatur Diarrhæa, ad tui admirationem æger convaleſcebat (*alvus - - - libera - - - ſtu-*

pendos effectus). Et hæc historia an non tibi occulos aperuit, ratione Solani & authoris des Recherches, cognoscebas tamen tunc temporis hos authores, tunc temporis studebas pulsui methodo recentiorum adaptata. Non loquebaris uti *Wierus* & alii, qui bene observabant pulsum, ejus caracteres belle pingebant, observationum suarum consequentias non intelligentes; deinde sequitur historia hydropicæ fæminæ, cujus pulsus erat parvus, vivus, & inæqualis, etiam parvus in cancro alicujus dominæ erat. En omne, quod opus tuum de An. 1759. de pulsu continet, insistam per momentum, si tibi placet, huic epochæ. Annus 1759. medius est inter viginti annos, quos in exantlanda pulsuum doctrina adhibuisti, asseris nimirum jurejurando anno

1768, quod per viginti annos pulſus materiam trutinaveris (*Deum teſtor, me eandem quæſtionem toties a retro annis ad incudem revocaſſe, ne qua me negligentia a lumine veritatis privaret*); hoc jus jurandum anno 1768. præſtitum neceſſario ſupponit, quod annus 1759. circiter inter viginti annos medium teneat; ſed jam tibi probavi, quod ab anno 1756. prima operum tuorum epocha parum pulſui materiæ incubueris, item (33) quod ultimis octo annis, quos hagæ batavorum vixeras, nihil ejus materiæ inveneris, hinc poſſum concludere, quod de viginti his annis, quos pulſui te impendiſſe affirmas, primi decem anni nihil eſſentialis ad tuam pulſus hiſtoriam tibi attulerint; videbo, in quantum ultimi decem anni tibi inſerviebant, & hos decem annos per opus

tuum

tuum de anno 1768. editum incipiam, ut illico poſſim ad annos 1759. & 1760. uniendos devenire.

39, En undecimum rationis medendi tomum, pulſus parvus & celer (*cum celeritate parvitas*) ut ſignum gangrænæ in hoc libro conſideratur, venæſectionem ibi ſuades, quia pulſus eſt durus plenus, (*cum pulſu duro, eoque pleno*); quæſtio ventilatur de obſervatione ſeptali ægrum concernente, qui ſine pulſu exiſtebat, & uſu frigidæ aquæ ſanabatur, atque per largam ventris evacuationem. In oblivionem hic, ut alibi recentiores noſtri veniunt, quorum opinionem ſeptali obſervatio tam ſingulariter confirmat.

En tandem hæmorrhagiam, ſed non ſtipatam cum pulſu Solani dicroto, eſt tamen ea pulſu ſuo notabilis, qui val-

de

de vibrans, mire vibrans modo in utroque carpo, modo in uno magis ſentitur (*pulſus admodum vibrans cum Hæmorrhagia unciarum duarum, naris quidem utriusque, ſed ſiniſtra potiſſimum naris veſperidenuo ſolinæ naris ſiniſtræ ſe qui uncia. Pulſus Solani dicrotus obſervabatur nunquam, ſed pulſus mire vibrans, nunc utroque carpo, nunc alterutro magis*). En Solanum unicum citatum ſine cæterorum pulſuum authorum verbulo. Pulſus hæmorrhagiæ dicis, dicrotus non erat, valde vibrabat, mire vibrabat; an hic pulſus vibrans tua inter inventa cenſendus? minime; is in *Galeno* aperte invenitur, qui ſpeciem dicrotismi exinde fecerat, & pro hoc caſu illum deſcripſiſti, loco ut galenum cites; quid eſt pulſus vibrans? in qua re de reduplicatione differt, & de noſtro

na-

nasali, de pulsu menstruorum, de pulsu hæmorrhoidum, de dicroto? quare aliam impendis denominationem, quam eam, qua nostri recentiores utuntur, ad id exprimendum? hic finis est undecimæ tuæ partis.

40. In decima parte nil invenio, quod pulsum spectaret, nisi quod valde vibrantem pulsum in tetanico inveneris, in alio tetanico valde debilem. Cæterum hic de Hæmorrhagiis loqueris & præsertim de Hæmophtysi, ast pulsum, qui evacuationes has comitatur, non describis. Doles quod manibus tuis exciderint hæ occasiones, observationes per nostros de hac materia factas confirmandi; in nona tua parte de ægro loqueris, qui diarrhæam & pulsum valde intermittentem habebat, etiam in hoc loco tibi pulsus do-

ctrina elabitur, in hoc tomo tamen peculiariter circa doctrinam hanc verſaris. Juxta capitis ſumarium multus de pulſu videri vis (*de pulſu varia*); quæ ibi recenſes, vituperia ſunt contra *Galenum*, propterea, quod pulſum in peripnevmonicis mollem eſſe dicat; affirmas poſt *Morgagnium*, quem pro duce aſſumpſiſti ab hoc tempore, quo prodiit, & quem indeſinenter deſcribis, quod pulſus peripneumoniæ durus ſit. An permittes, ut tibi demonſtrem, quod, ſi librum des Recherches conſultaſſes, rationes ibi inveniſſes, quare pulſus pectoris modo durus, modo mollis, modo ſimplex, modo compoſitus, vel cum pulſu hæmorrhagiæ, ſudoris, gaſtrico, capitali, complicatus inveniatur, omnium horum problematum reſolutio te de decla-

rando

rando *Galeno* bellum impedire potuiſſet, & media tibi ſuggerere, melius omnia, quæ de pulſu peripnev monicorum dicit, intelligendi, quidquid ſit nil præterivi eorum, quæ in nona tua parte pulſum concernunt.

41. Ad octavam venio partem; par. vis tuis homeliis contra magnam hæmorrhoidum hæreſin impleta eſt, inqua tam parum de pulſu, quam in toto reliquo opere invenio. Dubito, an ibidem ſaltem pulſus nomen legatur, licet ibidem quidam morbi acuti & præſertim ſudores recenſeantur. An non ratione ſudorum potuiſſes pulſus ſudoris a galeni tempore ab omnibus medicis huc uſque indicati mentionem feciſſe. Septima tua pars anno 1762. edita parum de pulſu continet, ibi problema alicujus momenti reperio, quid

febris

ſebris Hæmorrhoidalis ſit, ſciscitaris, id quæris occaſione hiſtoriæ hujus febris, quæ per quemdam edita fuerat, qui ſatis audaciter opiniones tuas deſeruerat, & qui compedes fregerat, quibus deciſiones tuæ ingenium ejus vinciebant. Audivi a medicis claris ac doctis dicere, quod hæc denominatio febris Hæmorrhoidalis optima ſit, quod hæc febris in hominis natura reperiatur, eodem modo imo magis ac aliæ febres, de quibus ipſe loqueris; hi, ut paucis dicam, ad tuam reſpondebunt quæſtionem, quod Febris Hæmorrhoidalis illa nominetur, cujus ſubjectum Hæmorrhoidarius eſt, pulſus vero Hæmorrhoidalis, & criſis præſentia per Hæmorrhoides; videas, ſi hæc definitio tibi placeat, vel non placeat.

42. Ad ſextam devolvor partem 1761. natam, ſermo eſt ibi de pulſu celeri, duro, forti & phlogiſtico, qui fortior evadebat poſt parvam Hæmorrhagiam (*fortis*) ex vaſis brachii poſt operationem anevrismatis. Ægra moriebatur, ſanguinis extravaſatio in baſi cranii inveniebatur, obſtupeo, quod hic pulſus, qui cum illo hæmorrhagiarum ſimilitudinem habet, tibi non in memoriam rcvocaverit, quæ authores noſtri de ipſo dicunt. Sermo etiam eſt de homine, qui pulſum durum fortem habebat, & cujus vaſa poſt mortem examinata, nonniſi parvum cylindricum polypum continebant; tandem quæſtio eſt de muliere, quæ in vitæ ſuæ fine pulſum inæqualem intermittentem, remittentem habebat, ut tamen mentio nulla fiat evacuationum, quas paſſa eſt; hæcque in ſexta parte.

Non ibi, uti alibi, confundis celeritatem pulſus cum ejus frequentia, dum in tomo de 1768. has duas diſpoſitiones poſt *Morgagnium*, & *Stablium* diſtinguis.

43. Tandem concludo, quod tomi anno 1768. priores nil de pulſu contineant, quam facta aliqua diſperſa, quæ ad generale quoddam ſyſtema nequeunt reduci, quod in his juxta omnem amplitudinem doctrina recentiorum non ſit examinata, quod ibidem quædam reperiantur obſervationes, quæ iis eo magis favent, quo magis eas obiter te feciſſe conſtat, ſine quod ſequelas exinde deductas prævideris; quod dici non poſſit, quod ante annum 1768. ad hiſtoriam pulſus ſcribendam animum habueris (*pulſus hiſtoriam conſcripſi*) quod uſque ad annum

1768. aliud opus recentiorum, quam Cl. *Nibelii* non cognoveris; quod obser-vationes tuæ anteriores hac epocha non reſpici poſſint, ut noſtris oppoſi-tæ, quia nomenclaturas ac caracteres noſtrorum pulſuum non noſcebas; quod opus tuum de 1758. ſine dubio pro maxime extenſo volumine haberi debeat, quod de pulſu potueras ſcri-bere, ſed quod haberi nequeat pro hiſtoria pulſus completa, quia plures ſpecies dantur, de quibus nullam men-tionem injeciſti; tandem quod ill. van *Swieten* longe te doctius de pulſu diſ-ſeruerit, juxta mentem recentiorum, paucis quidem terminis, & quod ipſius obſervandi modus ac obſervationes proponendi methodus tuam longe an-tecedat.

44. An omnia de operibus anterioribus illo de 1768. propoſui? minime; ad vos me converto, illuſtria facultatis viennenſis membra. Non dedignemini, quod junior monspellienſis doctor querelas ſuas, & vivum ſed reſpectu dignum dolorem contra veſtræ civitatis Profeſſorem Antonium de *Haen* ad pedes veſtros devolvat; abſit, ut uni veſtrum confratrum debitam reverentiam demam; ſed permittite quæſo, honorandiſſimi artis medicæ magiſtri, ut ante oculos veſtros opera ejus de 1768. 1760. aperiam; in propiis terminis ſeſe explicat in primo opere, quod Hippocrates gnarus & expers fuerit in pulſo noſcendo, quod eum conſultaverit pro diagnoſi & prognoſi, aliquando nobis attentius & exactius (*ad diagnoſin prognoſin que formandam ali-*

quando nobis attentius, & accuratius - - - descripsisse accurate in acutioribus morbis pulsum arteriarum y) id anno 1768. *Hænius* vester confirmat, & en, quæ aliquot annis prius edidit (*pars* 9. *c.* 2.) Hippocrates pauca de pulsu reliquit, de pulsu peripnevmoniæ nihil docuit (*peripnevmoniæ pulsum, Hippocrate, quia de pulsibus non adeo multa habet, non describente*;) juxta Cl. *Hænium* anno 1768. nullus datur author diffusior, nullus plus arbitrarius, inutilior Galeno nullus (*in doctrina pulsuum Galeno difficilior, subtilior, plusque arbitrarius eandemque ob causam posteritati inutilior*, z) alio loco vero Galenum consultare opus habet (*Galenum consulamus necesse est*); singulare admodum est, quod illu-

y) T. 12. rat. m. c. 1. p. 12.

z) T. 12. rat. m. c. 2. in sumario p. 16.

lustris vester præses continuo Galenum citet in pulsuum materia; observate erga illust. Præsidem venerationis defectum, observate judicia, ac contradictiones, quas vestræ sapientiæ ac æquitati discernendas relinquo.

45. Adhuc auribus vestris mihi favete, audeamne vos rogare. An. 1768. Cl. *Hænius* in terminis non æquivocis pronunciaverat, quod novæ pulsuum observationes locum in Hollandia & Austria non habeant, &, quod has observationes factu sit impossibile in quocunque terrarum loco (*observationes de pulsu novas in belgio austriave haud observari dicam, verum etiam nullibi terrarum veras, aut observari posse enuntiabo* a) Nihil hac assertione clarius, acutius

 nihil,

a) P. 12. rat. m. in fine c. 3. p. 161.

nihil, ac despotismum maxime redolens.

Cl. *Hænius* certe observationem ill. van *Svieten* de pulsu menstruorum oblivioni tradidit, quæ sola jam possibilitatem sæpius sic prænunciandi ostendit. En inauditam huc usque contradictionem: Hænius sui ipsius immemor est, non recordatur An. 1768. ipsum paucis abhinc annis sese sic expressisse (pars quinta c. 2. (*pulsus observatus & comparatus cum cæteris coctionis signis, circa crisium tempora occasionem mihi præbuit sæpius authore Solano evacuationem criticam vomitu, aut alvo futuram prædicendi ad ægrorum lectos in nosocomio*) qualis hic Cl. *Hænii* procedendi modus? honesti, dicit alio loco *hic author*, conjurare debent ad orbi facta hæc perfidia signata patefacienda (*cautos animabimus, ut malam nostram*

ſtram fidem orbi patefaciant b) : videte viri doctiſſimi, quæ vobis agenda. Vobis ac veſtro præſidi hominem denuncio, qui ipſum in perſona, contempſit, ſimulans non cognoſcere ſe ejus opera, & affectans primus haberi, qui de pulſus materia inter vos cogitavit, præſertim de illo menſtruorum (26)

46. Illum huc uſque ut talem depinxi, qui voluit completam pulſus hiſtoriam & recentiorum opinionem ſcribere, ſine quod principaliores eorum libros cognoverit (3. 4. 5.) qui deſcripſit & mutilavit *Morgagnium* (8. 9. 10.) qui ſibi ipſi ratione ſudoris contradixit (16. 17.) qui memoriæ Galeni inſultavit (2.) qui calumnioſe accuſavit authorum noſtrorum aliquem

b) P. 6. c. 6.

contemptus Hippocratici (14.) qui de historia chinensium loqui negligebat in opere, quod historiam pulsus completam nominat, (20.) qui assertiones nostrorum authorum falsivicavit, (21.) qui sibi in plurimis observationibus contradixit, (32.) qui tentavit obscurare epochas suarum de pulsu annotationum, ut nostris prior haberi possit, (34.) qui nonisi de pulsu generalia & locos communes in pluribus partibus proposuit, (33. 42.) qui affirmaverat inventorem methodi se esse, in qua de pulsus lentore vel frequentia decernitur, (35.) qui in diversis operibus confuderat pulsus celeritatem cum ejus frequentia, interim dum An. 1767. essentialem differentiam inter has duas pulsus modificationes juxta *Morgagnum* statuerat, (34.) qui pro eo haberi con-

ten-

tenderat, qui per viginti annos in materia pulſus laboravit, dum nonniſi anno 1768. opera noſtra noúerat de anno 1755. compoſita, (14.) qui veſtros ſtudioſos methodum docuit tumultuoſam, inutilem, jactantiæ plenam ad explorandum pulſum, loco ut ſolam proficiendi in hac re methodum ill. van *Svieten* imitari debuiſſet; qui edixerat ſe intra duos annos perfeciſſe centum quinquaginta obſervationes, quæ omnia in morbis videnda continerent, (35) qui nomen *vibrans* pulſui homorrhagiarum attribuit, ut celet id, quod alii authores de eo dixerant, & ad nomen inventoris reportandum.

47. Venio tandem ad vos, ut oculis veſtris ſubjiciam, quacum libertate hic medicus de aere veſtro diſponat, poſt quam de aere batavo diſpoſuit, &

ani-

animum univerſum regnandi concepit. Prius edixit, Hippocratem prædictiones omnes feciſſe, & cognoviſſe morbos tangendo pulſum, & nobis ſimiles cognitiones aquirendas prohibere vult; vult, ut, quæ Hippocrates fecit, ab aliis in Europa fieri impoſſibile judicemus; probabam, quod evidenter ratione Hippocratis ſibi contra dixerit, modo illum pro authore omnis rei ſphygmicæ tenens, modo edicens, eum non adeo multa de pulſu habere; demonſtravi, & qualis etiam mea ſit admiratio, non potui me cohibere, quin adhuc oſtendam, quod, poſteaquam novam pulſus doctrinam, quantum potuit, calumniaverat, flocci habuerat, & maledictis proſciderat, ut inutilem, impoſſibilem, pernicioſam conſideraverat, formaliter promulgaverit, quod ſæpiſſime

me juxta pulſum prædixerit (*prædixi*) & quid? non unicam criſin, ſed illam vomitus, & alvi; & quoties? non una ſed pluribus vicibus, ſed ſæpius ac ſine dubio id dicere valet (*ſæpius*); & ubi? non ſolus vel occultatus ſed in noſocomio (*nosocomio*) in ipſa auſtria, ubi anno 1768. ipſi placuit fore impoſſibile prædictiones de pulſu facere; an ipſe ut author has prædictiones fecit? non, *Solano* authore; an fortituto id contigit, & quod, quæ faciebat, non cognoverit? non, ſed dum attente tempora, & ſigna criſium comparavit (*circa criticum tempus & cum coctionis ſignis*) jungebat illico criſium doctrinæ eam de pulſu, & tamen An. 1768. dicit, quod doctrina pulſus ſit facta ad criſes turbandas, & medicinam evertendam (*medicinam evertendam* c)

Præ-

c) T. 12. c. 4. p. 161.

Prædictiones, quas tantoties fecit, quare fieri non possent a ncbis viri clarissimi, & ubique, ubi medici tam sapientes ac vos & doctores nostri reperiuntur? SiCl. *Hænius* has observationes non fecit, imposuit, quia illas annunciabat! si easdem fecit, hodie imponere vult; a quo tempore fidem meretur? An anno 1760? an aliquot annis ante? & quid fidei tali homini sibi ipsi contradicenti adhibendum? vos judicium feratis, viri sapientissimi & perillustres artis doctores. Ad vos, uti decet, ad vestram appello eruditionem & ex veneratione de omnibus, quæ ad huc dicenda haberem, taceo; forsan aliquando etiam ea examinabo, quæ de crisibus nobis objecit in tomo rationis medendi 1768.

FINIS.

